
WOOD LIBRARY-MUSEUM



OF ANESTHESIOLOGY

WOOD LIBRARY-MUSEUM

Accession No. **RB 8214....**

WO

285

M 110

1667

WOOD LIBRARY-MUSEUM

Accession No.

P - T. Noyman - 4,21,82 - 2500

D. JOH. DANIELIS MAJORIS
CHIRURGIA
INFUSORIA,
placidis CL: VIRORUM DUBIIS impu-
gnata, cum modestâ, ad Eadem, Responsione.



K I L O N I,
Sumptibus Joh: Lüdervall, Bibliopolæ Magdeburg.
Imprimitur: Joach: Reumannus, Acad. Typogr. 1667.

SERENISSIMO. AC POTENTISSIMO
PRINCIPI. ET. DOMINO
DOMINO
FRIDERICO. WIL.
HELMO
MARCHIONI. BRANDENBURGENSI
S. R. IMP. ARCHICAMERARIO. ET. ELECTORI
MAGDEBURGI. PRUSSIÆ
JULIÆ. CLIVIÆ. MONTIUM
STETINI. POMERANIÆ
CASSUBIORUM. VANDALORUM
NEC. NON. IN. SILESIA. CROSNÆ. ET. CARNOVIÆ.
DUCI
BURGGRAFIO. NORIMBERGENSI
PRINCIPI. HALBERSTADII. ET. MINDÆ
COMITI. MARCÆ. ET. RAVENSBURGI
DOMINO. IN. RAVENSTEIN
ET. DITIONUM. LAVVENBURG. AC. BüTAV. ETC.
HEROI. AC
TRIUMFATORI
MAGNO
PRINCIPI. AC. DOMINO. CLEMENTISSIMO

SAL. ET. FELICITATEM

POTENTISSIME
ELECTOR

Non auderet Inventi mei Defensio adscendere ad celsissimos GLORIÆ TUÆ Obeliscos, aut reptiles suæ tenuitatis hederas Triumphalibus ibidem, & Coelum ferentibus Lauris implicare, nisi sub Protec̄trices PRINCIPIUM Umbras subjici talia receptus suaderet mos, atque SERENITATEM TUAM imprimis, præ multis aliis seculi nostri

nostri Heroibus , singulari quodam , erga
Naturæ & Artis Rariora , studio teneri ,
Famâ publicâ constaret . Cujus utraque
buccina quemadmodum efficaciter hacte-
nus Immortales ANIMI TUI Dotes à
qualicunque venientium Seculorum si-
lentio præmunivit , hoc est , ad Annales æ-
ternos in gratiam Posterorum retulit , quæ
Sagi non minùs , quam Togæ tempore , ab
Annis bene multis , in & extra fines S.
ROM. IMPERII , ad miraculum usque à
TE sunt gesta , notata in Ære tricubi-
talibus literis per Digitos Musarum omni-
um , Palladum , & Gratiarum , ne scilicet
Fortitudinem , quâ clares , Ingenio & Pru-
dentiæ Bellicæ conjunctam , ne Clementi-
tiam Tuam ac Mansuetudinem , Pacisque
studium pertinax , & in utroque Casu , ni-
tidis-

tidissimi astri instar, inexstantis flammis
radiantem Justitiam, Actionumq; Felici-
tatem penè incomparabilem, ac cætera,
ullum Ævum facile, ullus Europæ aut Or-
bis totius angulus ignoret: ita veniam
michi da, quod tot ac tantos HEROICÆ
TUÆ MENTIS impetus nunc qui-
dem transmitto sine ulteriori præconio,
quia tutius arbitror, Tropéa aut Oleas
PRINCIPUM tacito stupore venerari,
quàm Facta Ipsorum Illustria, & charac-
terem plusquam humanæ indolis, ullâ ob-
scuritate Atramenti Scholastici denigrare.
Quin id unum appeto, ut, quos ad alio-
rum scripta pridem flexisti oculos, fulmi-
neos illos Gentium Terrores, sed & A-
mores Patriæ, mistâ Majestati gratiâ coru-
scos, quibusque in Bibliothecâ Tuâ verè

Augustâ haud unam quotannis percurris
Iliadem ; ad Eorundem Radium aliquem
mihi liceat, humillimè me inclinare, &
submittere magnâ Devotione Defensio-
nem Inventi mei Infusorii. Quod post-
eaquam in Provinciis Europæ plurimis
inter Medicos magni Nominis haud in-
hospitaliter est exceptum, immò secunda-
tum perspicuè partim imitatione illorum
& factâ Experienciam, partim censurâ
benevolâ & Dubiis eruditissimis in me-
dium prolatis , quibus impræfens qualis-
cunque Responsio reponitur : non de-
sunt vicissim alii , qui procul à studio veri-
tatis constituti, solâ ambitione & verbis
mordacibus , gloriolæ modò dicti Inven-
ti mei clam palam insidiantur ; qui-
bus proin clypeus fuit opponendus.

DE-

DEUM Ter. Opt. Max. p̄tecor, ut
SERENITATEM TUAM prosperè ac
diu servet; ut vivas ac valeas, POTEN-
TISSIME ELECTOR, non in Grati-
am Subditorum Tuorum solum & invi-
eti Regiminis; sed in Rei etiam Literariæ
decus & gloriam, cùm vix aliud hodiè
ferrea quemadmodum Regnorum pro-
pemodum omnium, sic, in Territorio
Apollinis, Doctrinarum quoque Opini-
onumqu econfusio requirat. Scribeb. Ki.
lonii Holsatorum, d. 10. Septembr. 1667.

SERENITAT. TUAÆ.

humillimus

JOHANN DANIEL MAJOR, Phil. & Med. D.
in Acad. Kilon: Anat. & Botan. Prof. P. Revni & Sernni
Episc. Lubec. Archiater, & h. t. Facult. Med. Decanus.
Seri...

Series contentorum
in hoc Opusculo.

I.

Praefatio necessaria ad Benevolum Lectorem, cum De-lineatione Instrumenti Infusoriæ applicandi.

II. Prodromus Chirurgiaæ Infusoriæ, Lipsia pri-mùm anno 1664, hinc Francofurti ad Mœnum, anno 1665. Et nunc tertia vice Kilonii editus, quia in tracta-tu hoc frequentissimè allegatur, nec pristinarum editio-num Exemplaria pluscula in Bibliopolis supersunt.

III. Epistolica Clariß. Virorum Judicia de In-vento novo.

IV. Dubia eorundem ex Epistolis extracta, Et methodicè in Tabulas digesta.

V. Responso modesta de iisdem.

VI. Disputatio de Febre artificiali, Kilonii pri-mùm habita anno 1665. Et nunc denuò, auctiùsque, im-pressa, reductaque hac ob affinitatem argumenti, Et dis-cursus quosdam in Responsionibus ad Dubia occurrentes.

VII. Postremò distincti Autorum, Rerum Et Verborum Indices sequuntur.


•S(1)•

I.

PRÆFATIO
NECESSARIA
AD
BENEVOLUM
LECTOREM.

A

Delineatio Instrumenti Infusorii,
cum Applicatione Ejus in Brachio Humano.



- A. Ligatura prima. B. secunda.
- C. Locus applicandi Instrumenti.
- D. Vesica liquorem vene Infundendum conti-
nens, Instrumenti orificio majori appensa &
aligata.

S. P. D.

Postquam Prodromus meus *Chirurgie Infusorie*, pridem inventæ, ante triennium prodiit, res ea initio quidem aliquibus visa est acutissimus Lapis offendiculi, quoniam à communib[us] Medendi Scopis quodammodo recedebat; ipsamque, tanquam Pomum aliquod Eridis, Manus Aristarchorum ultrò citròque volutarunt: Plusculi alii tamen (& fortè meliores) paulò mitius de eâ censuerunt, &, missò personæ favore vel fastidio, pleraque non inconvenienter dicta rati, Experimentorum copiam tantum, & Boni Eventū specimina exspectarunt. Quorum Desideriis veluti jam pridem litanum fuisse ipse met concedo: ita nihil magis doleo, quam quod toto illo, quod post dictam primam istam Prodromi Editionem intercessit, tempore, tam pulcris ac dignis conatibus meis partim Officii, quo Hamburgi tenebar, & Valetudinis ibidem bis-deplorata ratio, partim Itinera dein, & innumeræ occupationes aliæ, è diametro obstiterunt. A quibus hactenus nedum evasi; quæ *prima* est illapsi silentii mei causa. I.

Interea ne nimium forte tribuere viderer Invento meo, privatim per Literas salutavi Viros quosdam

In Arte Medicâ celebratisimos, Eosque petii, ut *Dubia*, si quæ iplis ex Lectione scripti mei nata fuis-
sent, benignie contribuere, Remque adeò novam à
me publicæ Luci datam, in gratiam Orbis literarii,
ad serium exactissimi sui Judicij Examen revocare
ne gravarentur. Id quod fideliter etiam & candidè
prætitit primùm *Magnificus*, *Amplissimusq; Dom.*
D. Iohan. Michæl, *Chymiater Lipsiensum lon-*
gè meritissimus; & eodem circiter Tempore, immo
iteratis vicibus, *Nobilissimus* & *Experientissimus*
Dom. D. Philip. Jacobus Sachsius à Leuenheimb,
Medicus Reip. Vratislavensis, Amicus, & in Imperiali Societate Naturæ Curiosorum Collega meus
summopere colendus, in Literis, quarum partem
unam ac alteram præsentis Libelli sedes propria mon-
strabit. Inde pluribus mecum egit *Nobiliss. & Ex-*
cellentissimus Dn. D. Iob: Daniel Horstius, Electo-
rum & Principum Archiater, immò Medicorum no-
stri ævi Princeps & Antistes longè meritissimus, in
Judicio Epistolico Francofurti ad Mœnum benevolè
à se edito, annexâ brevi sententiâ Generi lui *Claris-*
simi, *Dni D. Laurent: Straußi*, Professoris Gies-
fensis, (utut suppresso ejus nomine) quam pau-
lo post *Chymiatri Celebratissimi Dni D. Iob. Tackii*,
Medi-

Medici & Professoris Hasslo-Darmstatini, suffragium est sequutum. Neque hoc satis fore duxit ad Gloriam qualicunque Invento meo tribuendam Laudati *Dni D. Hofstii* prepensio, nisi summus iste in Re Medicâ Vir Meditatiunculas meas continuò ad Exteros etiam, inscio me, amandaret, nominatim *ad Filium Clarissimum*, felicem quemadmodum Virtutum ac Nominis, sic Famæ suæ Hæredem, Parisiis eo tempore agentem, qui Prodromum meum *Collegio Regio*, & in eo præsertim *Magni Nominis Viro, Guidoni Patino*, legendum præbuit; tūm in Angliam quoque ad *Illustrem Comitem Digbæum*, cuius Responsorias, sine dubio prolixas, frustra tamen fui-
mus, ob bella intervenientia, præstolati; unde altera interim qualiscunque silentii mei causa est pronata.

Accessit Tertio Et hæc, quod ex eadem Angliâ die III.
XI. Martii, Anno MDCLXV. Londino mihi rescripsit *Clar. Dn. Henricus Oldenburgius*, Secretarius Regiæ Societatis Experimentalis, atque in causâ Chirurgiæ meæ, sibi ac toti Collegio à me transmissæ, intimavit, esse de simili Argumento sub manibus syllogen quandam, *Clarissimo D. Clarkio*, Societatis E-
jus uni; quam verò adhuc videre non licuit mihi, de eadem quantumvis variè solicito.

IV. *Quarta* denique illa p̄fī silentii mei causa est , ut re-
liquas taceam , quod Responsorias ac Censuram bene-
volam non simul aut junctim obtinere putui à Cele-
bratisimis illis in Re Medicā Viris , quorumcunque
judicia imprimis conquirenda , & probè spectandara-
tus sum , ne ullâ ex parte viderer novam Orbi Literario
Doctrinam velle obtrudere , nisiquæ certis anteà Du-
biorum gravissimorum momentis , & Examini Erudi-
tiorum , tanquam Lanci cuiquam Monetariæ , fuerit
commissa . Neque enim unquam mihi placuit aut
placet eorum mos , quicunque de specie inventi alicu-
jus citò nimis sibi gratulantur , & Paradoxum quan-
doque multis difficultibus obseptum , interdum
ridiculum etiam , aut aliàs inauditum , consultâ non
satis Naturâ , inconsultoque Prudentiorum judicio ,
exponunt , præsertim , si de Re agatur Momenti ma-
ximi , qualis profectò est , tentare novum Medicatio-
nis genus in Corpore humano ad Mortem prono , vel
in quo persanando magni quandoque inter Medicos
polyphemī frustra laborarint . Quare maxime
omnium conquirendas existimavi aliorum sententias ,
ut totum Inventi negocium Posteris tanto tolerabile
magis redderem & probatum .

*Quâ in re dum egregiè pariter , & supra quam dici
potest ,*

potest, benevolè, petenti mihi, post supra-laudatos
 Doctores, conspirarunt alii præterea Excellentissi-
 mi Medicinæ Antistites, primùm quidem Dn. D. Iob.
 van Hörne, Professor Lugduno-Batavus longè cele-
 bratissimus; deinde Dn. D. Thomas Bartolomus,
 Professor Regius Hafniensis, Anatomicus supra En-
 comia mea positus; omniumq; novissimè Dn. D. Iob:
 Jonstonus, immortale literatorum & Silesiæ meæ De-
 cūs, & quidam alii; non possum non celebrare hic
 maximis Laudibus illorum quoque gratiam, & Lite-
 ras Eorum, verbo tenus transcriptas, Oculis Lectorum
 dare, quia plurimum referre puto, nosse Orben, quid
 tanti etiam ac tales Viri de meo & Anglorum Inven-
 to statuant, quorsumque tendant terribilissima illa spicu-
 la, quæ ex pansophico Ipsorum Cerebro, tanquam
 aurea Apollinis pharetræ, in me jaeta promo, hoc E-
 ventu, non, ut saucium reddere me velle visa sint, sed
 in quodam, ut sic dixerim, usu Clypei exercere; Ami-
 cè, inquam, tangere, & cuspidè summâ pungere, nul-
 lâ vero parte hostiliter vulnerare. Pro quo favore &
 Civilitate insignes Ipsis merito refero gratias. An
 verò recte ubivis latus declinavero, equidem non au-
 deo judicare. Hoc tamen possum dicere, me in præ-
 senti Opusculo, dum excerpta ex Eorum literis Dubia
 assumere primum, inde effugere aggressus sum, hoc ani-
 mo

mo id agere, ut quemadmodum nulla *Autoritati Eorumdem*, sic nec ulla Modestiae meæ Legibus, vis inferatur. Immò ex aliquibus *Responsionibus* liquebit, quām non per omnia dissentiamus.

Id quod priusquā fuit, placuit unam præterea atq; alia Coronidis loco, Epistolā annexere *Literatissimi ac Clariss. Cujusdam Viri Iuvenis, Medicinæ, ut se vocat, addicti primūm, posteà Baccalaurei, in Almâ Lipsiensi, Christiani Friderici Garmanni*; quem euidem defacie non novi: quia tamen valdè solicitum *Ipsum experior de Chirurgiâ meâ, & Florentissimam Clarissimi Viri Iuvenis Doctrinam ac indefessum in evolventis Autoribus optimis, ipsaque Naturâ perscrutandâ studium dicitæ Epistolæ liquidò testantur, dignissimas fore censui*, ut tūm hæc etiam Eruditorum Oculis patarent, tūm *Ipsum Autorem Amicorum meorum numero accenserem*, quippe decet, illorum Animos sine controversiâ amplecti, quorum veluti Artes nullatenus diversæ, sic eadem in habendis aliorum inventis Modestia, idem Candor est. Invidos, Malevolos, Irrisores clandestinos, vel Calumniatores apertos, quorum agmen ducit Diabolus, parum moror. *Miseré de invento meo ageretur, nisi injuriás mediocres patienter ferre, Et Zoilos ipsos vincere jam prius didicissim Pietate possibili, consultá Mansuetudine, Contentu genroso.*

•••(9)••

II.
PRODRÖMUS
CHIRURGIAE
INFUSORIÆ,
Conscriptus primùm Hamburgi, Calend. O-
ctobr. An. 1664.
& nunc tertium editus.

B

Prima
Chirurgie
Infus. inve-
nienda oc-
casio.

Bennium jam est, & quod excurrit, postquam anxiē mecum cogitavi, qui fiat in affectibus malignis, quod multi Ægorum, superatā quantumvis Crisi unā aut alterā, ubi ad vadum perductos maximam partem credimus, opinione celerius nonnunquam Fato suo rapiuntur, & propè Portum salutis, ut sic dixerim, naufragium vitæ faciunt, intercedente Lipothymia subitaneā, & anxietate gravissimā præcordiorum; ii præcipue, in quibus materia mōrbosa, formā Varioiarum, Morbillorū, Pustularū purpurearū ac Miliarium, Ignis Saeri, Petechiarū, aut aliorū Exanthematū, ad Cutim primū delata, à qualicunque Corporis refrigeratione, aut causā alij, in Venas rētrocessit; quāmodū inter reliquias omnes evanescētias Tumorū, Termitosvē eorum, est certè pessimus.

§. 2. Ubi quidem causa hujus rei videtur expedita, si trahamus ipsam à visciditate sanguinis, quam is contraxerit à Miasmate maligno, utpote quod brevi temporis spacio massam sanguineam sic disponere & alterare possit, ut si at serosi Laticis à fibrosis partibus secretio, factaq; imprimis spirituum, per prægressas quasdam effervescentias ac Æstum Febrilem desflagratione, modo dictus Sanguis in ramis Venarum ac Arteriarum primū capillaribus, inde majoribus etiam, ac tandem maximis, concreseat instar gelatinæ, moveri inæqualiter admodum, & cum languore, inchoet, usque dum pulsus planè deficiat, & suspensum in pulmone Cor, tanquam in patibulo, à propriis suis vasis, tanquam chordis ac funibus, stranguletur.

§. 3. Noctamen me valde habuit sollicitum, quod in ca-

in casu tali, cum in Agone jam Homo constitutus est, & torpidi Sanguinis signa magis magisque cumulantur, Morsq; jam in limine stat, ubi ultimus curandi apex in motione sudoris denuo niteretur, sudores tamen usque adeo sunt, aut videntur contumaces, ut nullis medicaminibus, sive mitioribus, sive fortioribus, Canonicis quantumlibet, & plurimorum Annorum usu anteà probatis, prolici se fras atque retrahi in viam patiantur.

*§. 4 Cogitavique primum, culpam eam resedisse Tria sum-
forsan in prava Medicamenti præparatione, ut sèpè in-
Pharmacopoliis fieri afolet: sed rem deinde paulò altius
ad animum revocans, & exhaurire instituens justâ qua-
dam, atque ab alijs vix pertractata methodo, qualescum-
que etiam Intercepti sudoris causas inveni, retardari illum
non solum ex Imbecillitate rei expulsive, Medicamenti videlicet
imbecillioris, aut non ritè fortassis præparati: vel virium etiam;
dum hæc vel obruantur ac opprimuntur à re quapiam mo-
testa; vel resolvuntur per morbos diurniores, aut eva-
cuationes nimias, atque sic sensim, instar flammulæ, exspi-
rant: neque solum ab anomalia ipsius Sanguinis impellendi, qua-
tenus scilicet vel alio divertitur, e. g. per effluvium sui ni-
mum, aut modicum quidem, sed die non-critico; item
in Doloribus, inflammationibus ac ulceribus partium in-
teriorum, &c. Vel inspissatur, atque ob lentorem intra
venashærens, suggestendo sudori calido & universalis, qui
vix sine notabili sanguinis effervescentia fit, ineptus est:
Neque solum denique ex Occlusione viarum in Ambitu corporis,
per quas sudor debet egredi: sed Meatus etiam culpa, per
quos Medicamentum aliquod sudoriferum, per os assum-
tum, Venas debet ingredi.*

§. 5. Nam præterquam quod meat, isti, ac ultimi vasorum quorundam Mesaraicorum, in Intestina hiantes potri præter Naturam quandoq; oblinuntur à Materia aliqua viscidâ, unde Ebres Stomachicæ & Intestinales (à loço causa sic dictæ) nasci solent, existimavi tum, & censeo adhuc, illos interdum etiam ob acrimoniam constringi, ab usu Medicamentorum cordialium quidem, sed acidiusculorum simul, quales sunt Syrupi Limonum, Citri, Ribium, Granatorum; Spiritus item minerales, acuminis ergò additi Julebis alexipharmacis aut potiunculis aliis expulsivis.

*Animad-
vercio in
Misturam
simplicem.*

§. 6. Atque sigillatim Misturæ simplici Paracelsicæ, legitimè quantumvis factæ, non leviter fui indignatus, ut pote quod Medicamentum post Theriacæ & Mithridatii confectionem, polyphemum, & sudoriferorum in Morbis acutis existimatum Regem, non modo ipse frustra quandoque adhibui, sed æquè vano successu ab aliis etiā, me facile majorib; frusta nonnunquam adhibitum perspexi. Quod si enim subiisset venas, impossibile pene fuisset, ob spiritus Theriacalis miscelam, sudorem non movisse, in iis maximè, qui stragulis benè cooperiebantur, & vias primas habebant ab impactu humorum liberas.

*Sudoris
facilitatio
ex fonte
triplici.*

§. 7. Unde damnassem propè ejus usum in cura agonizantium quorundam, quia ad strictiora ipsius, à Vitriolo dependens, vis mihi erat valdopere suspecta; & acquiessem in exhibitione Confectionum Bezoardicarum aut pulverum, nisi eorum operatio è contra in tanto morbi acumine, mihi visa fuisset nimis tarda.

§. 8. Sed considerando tandem, quam efficacia etiam Medicamenta quandoque conferantur, eadem vel hoc nomine reddi prorsus inutilia, quia ob summam ægri imbe-

cili-

33

cillitatem & virium agonem, transmitti per os in corpus ejus nequeunt; nec non perpendendo, quam parum solatii cōteroquin à Medicamentis quibusdam externis, e.g. Clysteribus Diaphoreticis, Epithematibus, Fomentis &c. tali tempore petatur; & quam difficile, missis etiam his, existat, Ægrum *Diabeticus* quibusdam auxiliis, e. g. Motui Corporis alicui, Balneo, aut Vaporario, committere, ut-pote, quando Adstantium magis Oculi ad Lachrymas, quam manus ad officia paratae sunt.

§. 9. Ideoque ne rigidè aut consuetè nimis omnia Prognostico committantur; quin, ut non pauci ægrorum, quos Methodista quidam rigidiores Deploratis annumeraturi sint, per gratiam DEI adhuc aliquandiu serventur, cogitavi de tali Remedio, quod tum Æger sine magno labore admittere, tum ipsum etiam non levem efficaciam parare posset.

§. 10. Ubi ex *Fonte* tandem *Chirurgico* Ventosarum ac Frictionum, ad Diaphoresin uteunque revocandam, Usus mihi incidit. Sed neque ab his, ut potè parum momenti exhaustientibus, solatum aliquod petebam, donec ex eodem *Fonte* Venæsectionem adii, & inveni, siquidem non tam Evacuationis, quam Infusionis scopo administratur (qua intentio ex scriptis Galenicorum exsulat) ipsam sortè aliquid auxilii collaturam, tali pacto, quem clarius sic expono.

§. 11. Nempe: quemadmodum cognitionis gratia, *Chirurgia* in Anatome habentur fistulæ certæ ac tubuli, quibus ob-, *Infusoria* scuriores partium cavitates & ductus Venarum explo-,, rantur: ita deliberavi mecum, an non Medicationis sco-,, po in *Chirurgia*, adhibere talem aliquam Fistulam con-,, veniat, „

„veniat, quā patientibus quibusdam Aegris, morti quan-
 „doque proximis, atque cū reliqua auxilia pleraque,
 „quantumvis canonica, imprimis pharmaceutica, incas-
 „sum sunt adhibita, Aperitivus aliquis liquor exquisitæ
 „subtilitatis & balsamicæ Virtutis in Venari prius sectam,
 „unde modicum sanguinis eductum sit, insufflari per tu-
 „bulum Aureum vel Argenteum possit, spiritu oris adhi-
 „tō, vel intrudi in eandem & adigi, ope manus, compri-
 „mentis, tanquam in clystere, vesiculam, Medicamine
 „liquido repletam, & latiori Fistulae parti affabre conne-
 „xam, ad modum Anatomies illius Infusoria, qua *Borellius*
 „loco Medicamenti Lacte usus est, ad prosequendos ob-
 „scurores venarum ductus in pueri placenta Uterina.
 „Centur. IV. Obsrv. 6.

*Autoris in-
stitutum.*

§. 12. Attamen curam hanc, quam citò mihi nata
 fuerat, tam celeriter dimisi, partim, ne mora subrepéreret
 animo ad agenda alia defixo, undē experimentis & rationi-
 bus litare sufficienter tum non poteram; partim etiam i-
 ded, quoniam verebar, ne si ex professo, quod dicitur, tra-
 hete velle meditationes has, & perlustrandas tradere
 Orbiliterato, non pauci Lectorum mihi met, tanquam
 qui notabili laborarem scribendi prurigine, succenserent,
 vel etiam, qui nimiō quodam, ac passim familiari studio
 Novitatis traherer.

§. 13. Interea ab Amico planè integerrimo, Nobiliss.
 & Experientissimo Dñ. D. Phil. Jacobo Sacbs, Chymiatro
 celeberrimo, proximè elapsō mense Julio currentis Annī
 64. literæ mihi Vratislavia mittuntur. In quibus quam
 suetè mecum agit, de edenda à se (ac jam edita) Analo-
 gia Mōtūs Sanguinē ac Maris, ingeniosissimè concepta,
 tam

tam candidè me, ferente sic discursu, rogar, ut, si mihi quid de illo Collegii Experimentalis Anglici experimento constaret, edisteram, quo scil. *setta Vena*, & *foraminis infuso liquore purgante*, *Purgatio posset fieri*, *beneficio Circulationis Sanguinis*. Additque Vir Clariss. ejus Experimenti non solum meminisse Caspar. Schottum in Admirandis Artis, nuper editis; sed idem sibi etiam ab oculato teste, Comite quodam Generosissimo, ore tenus fuisse confirmatum.

§. 14. Obstupui sane, ubi hæc perlegi, atque non leviter sum partim sortem meam questus, quâ Gloria Inventionis facile mihi ab aliis poterat præripi; partim Timiditatem meam detestatus, siquidem hac factum est, ut illud e-, rubuerim perpendendum sistere Orbi literato, cuius ne- que Experimentum facere jam dediti in Anglia sunt, Medici Experimentalis, neque mentionem dedecori sibi reputavit Schottus Clarissimus, referre inter Admiranda Artis, neque Autopsia tandem evidentissima latuit Illustrem quandam, ac Generosiss. Personam.

§. 15. Quapropter, rupto tandem nimio pudore, succedere in hujus locum passus sum honestum quendam ambitum, libuitque mihi, utut curis aliis jam impedito, breviter & perspicue, salvisque aliorum refragiis, inauditum scholis Galenicis & insuetum penè in Germaniâ non solum, sed vel universa Europa, Chirurgiæ istius seopum palam reddere, pulcerimè persuaso, fore, ut, si posteri illum ratum habituri sint, Inventi sive gloriam iidem mihi non invideant, sive partem aliquam meo etiam nomine non celebrare nolint.

§. 16. Conscripteramque de hac re jam integrum libellum, & Animus mihi erat, objicere illum publicè in diversa

versa euntium censorum Animis, non turbandus, quicquid spinarum eidem Erinacei quidam bipedes affixuri sint: sed tempore, ac rebus aliis præventus, redire non potui ad cūras has; atque premere earum mentionem usque ad anni sequentis primordia volebam, nisi accepisset modò literas quasdam à *Maximo quodam seculi nostri Medico, Præceptor, quondam meo honorando;* in quibus sub finem hujus Prodromi annexis, *Is distinctim me ad maturationem Editionis adhortatur, gloriolæ meæ faveris per omnia.*

§. 17. Cujus tām benevolo instinctu proinde parens, duabus quasi horis, & uno pede stans, Prodromum hunc Chirurgiæ meæ Infusoriæ concepi, ut, quam fieri possit, præsentes Nundinas Lipsienses augeat, verseturque per manus legentium: Quorum quidam si forte ut Pomum Eridis acceperint, ego ramen sic non do. Prostитuo enim ipsum, non ut prætorium quid, aut cujus sententia exceptionem non admittat: quin, ut incognitum mihi est, quorū nobiliora aliorum ingenia penetrare possint: ita placida eorum iudicia, siquidem hæc sine bile & salis ac relata sint, non detrecto: & procul ab Axiomate, procul à Thesi prorsus certa aut regia, (adhuc quidem) constitutus, inter carceres tantum conjecturæ alicujus ferè me contineo, donec commodiore tempore Experimentorum pluralitas illam paulò fortius, & tanquam annulo aureo obsignet.

§. 18. Interea non est, ut Chirurgiæ meæ Necessitatem plusculis exponam. Quicunque necessariam interdum intelligit, penes Agonizantes, incercepti Sudoris restitutioinem, per Præsidia Communia desperatam, Invento meo Necesitudinem omnem, memoriâ suprà habitu discursus,

*Necessitas
Chirurgiæ
Infusorie.*

17

scurſus, non derogabit. Necessitas Mediorum ſiquidem,
à Necelitate Finis pendet.

§. 19. Atque quam utile id Institutum, dignum
Christiano Medico, & à ratione nullatenus alienum sit,
facile patet, partim ab Analogia, quæ à Clysteribus tam
communibus, quam Uterinis, Injectionibus item in pe-
nem, vesicam, abſcessus, empyemata, Vulna profundi-
ora, aut Ulcera, defumitur, utpote ubi per fistulam aut
Canalem intromittitur, aut infunditur conveniens li-
quor aliquis: partim & exinde, quod veluti non ſupra
Naturam, ſed mediante Natura rerum niftibilium fit, ut
Malla ſanguinea ominoſam aliquam viſciditatem in Ve-
niis contrahat; ita in Naturæ ſcrinio etiam nonnulla ad-
huc remedia, tanquam Mysteria, delitescunt, quibus viſci-
ditas illa, niſi radicaliter aut ſimul ac ſemel, utpluri-
mum tamen ac ſuccellivè tolli poſſit. Nam nihil tam ſo-
lidum aut compactum eſt, quod certo Artis regimine ite-
rum ſolvi nequeat vel vi, ac impulſu aut Igne, vel pér mo-
deratos digestionum gradus. Quorūdum haut parum
reſpicit Chirurgia mea, extra dubium ſpero eſſe, quod ſco-
pus iplius ſit quemadmodum necaffarius, ſic utilis valde
& compofitus ad rectam rationem; modo liquor conveni-
ens ſuppetat, in Venam infundendus: de quo circa finem
prodromi hujus quædam etiam proponentur.

§. 20. Tum & administratio ſapè dictæ Chirurgie
non multum difficultatis habet, ſive Chirurgi perso-
nam & debitam iplius agilitatem, ſive Ægri iplius toleranti-
am facilem reſpexeris.

§. 21. Conditiones & requiſita quædam ad modo di-
ctam Administrationem, & univerſum regimen ejus

C

necel-
lēs.

Utilitas &
dignitas
Ejusdem.

Nec non
admini-
ſtratio fa-
cilis.
Conditio-
nes ad i-
cum opus
pertinen-
tes.

necessaria sunt: ex gr. (I) ut Medicus antè omnia in re tam ardua præmunitum se norit, in qualemcumque Eventum, Autoritate publicâ. (II) Ut remedia quædam Canonica, seculorum usu probata, sed frustraneo tandem successu, adhibuerit. (III) ut brachium vel pes à Chirurgo ante phlebotomen, linteis calidis confricetur, vel Vino calido, aut Aqua Sambuci calida cum Spiritu Vini Camphorato, foveatur. (IV) Ut ligatura brachii à Chirurgo duplex fiat, sed successivè. (V) ut Venæ sectæ foramen dígi to statim comprimatur, & sic aliquandiu clausum constet, donec (quod agiliter fieri convenit) Instrumentum infusorium applicatum sit, ne interim multum sanguinis exstillet: aut (VI) si plusculum ejus fortè profluat, nec tamè ultra drachmas duas vel unciam medium emanet; nam (VII) tantundem liquoris ferè in venam insufflandum fuerit. (VIII) Porro, ut trajectio liquoris ejusdem non unico dextræ impetu, vesiculam exprimentis, sed moderatè fiat. (IX) ut transitus illiusdem adjuvetur utcunque successiva compressione brachii, à loco sectionis, sursum, usque ad axillam. Nec non, (X) ut partibus oppositis Ventosæ quædam applicentur, quarum utilitas alioquin in revellendis variarum partium hæmorrhagiis nimiis, non satis prædicanda est. (XI) Deindè etiam, ut æger admittendæ sectioni Venæ non admodum inassuetus sit: quamvis, quid secum agatur, morti cæteroquin proximi, vix admodum observant. Imprimis vero (XII) ut pulsus adhuc utcunque constet, nec planè languidus, atq; ad sui defectum propensus nimirum sit; & quæ sunt alia.

§. 22. Quibus omnibus ritè perspectis, non in Variolis solum, Morbillis ac febribus malignis aliis, & exanthem-

anthematicis, sed vel in illo etiam Pestium genere, quo sanguis à Veneno Mialmate non tam liquatus, quam congelatus mortem infert, (salva aliorum opinione) existimem, bona conscientia, & citra implicationem ullius vel absurdii, vel temeritatis, Chirurgiam Infusoriam posse suscipi, Ægrumque verisimiliter eripi ex ipsis, ut sic dixerim, manibus Parcatum.

§. 13. Dicis autem: *Quid, si sub manu Chirurgi Tibi moriatur Æger non secus, atque in ipsa sanguinis missione vel nimia, vel intempestiva aliqui, aut sub apertione Apostematis alicujus, Strumæ excisione, Arteriotomia, Cauterii inustione, aut Laryngotomia, quosdam exspirasse accidit; nonnè tristis Eventus talismodi continuò converteretur in culpam Medici, hoc prætextu: Nisi vena secta fuisset, Æger mortuus non fuisset.*

§. 14. Id quod quadantenus facile concederim: nam, nisi idem æger, ob peccati reatum, fuisset sub Morbi & Mortalitatis juga lapsus, Medici aut Chirurgi manus nil quicquam juris in ipsum habuissent. Sed ideone interim æger ob qualecunque videlicet periculum Mortis, quæ ipsum indubie sine Chirurgia Infusoria tanto certius jugulasset, adhuc spirans, sine auxilio sit relinquendus, ubi aliqua adhuc undecunque subsidii honesti spes superest? Ad quod dum imposterum, ut spero, nos ducet Chirurgia mea, nolui, nec debui ipsam amplius clam esse Orbe Christianum.

§. 15. Contra cuius prærogatiyam præ multis auxiliorum generibus aliis quæ prætereà possint objici, etiam facile prævideo, suntque aliam ponderis aut veri speciem habentia, ferè sequentia hæc:

Objec^{tio} I. §. 26. (I) Quoad Inventi gloriam; *Me primum non esse Chirurgie istius Autorem*; nam à Clar. Schott^o jam disertam ejus mentionem factam esse, in *Mechanica Curiosa*, vel admirandis artis, ut jam supra (§. 13.) diximus, & pridem ante Schottum, à Borello quadantenus, *Centuria videlicet. IV.* Obs. 6. & Cent. III. Obs. 58. Novissimè omnium verò à Clar. *Sacra Mea*, in elegantissima sua *Oceani Macrocosmici*, & sanguinis humani Comparatione §. 155. ubi jam ante Annos plusculos factum Experimentum asserat, tūm in Anglia à Collegio Experimentali Nobilissimo, tūm in Germania fortè etiam penes Principem quendam Palatinum; Infundendo in Venam sectam liquorem laxativum, ejus translatio per Venas ulteriores ad Cor ipso purgationis suæ cessu secundata fuerit.

§. 27. Verbaque scientiss. Casp. Schotti sunt hæc ex Lib. XI. Mirabil. Miscell. Cap. XXI. pag. 891. Non ita pridem à Magno quodam Principe intellexi, Experiencia de rebus sum esse in Anglia, Hominum aliorumque animalium Corpora purgari posse Pharmacè purgatiuò per apertam phlebotomica lanceola Venam infuso in hunc modum: Vesicam vel Utrem implens purgatiuò liquore, collo ejus fistulam subtilem ita accommodans, ut per eam expressus è Vesica liquor transfire queat. Venam in brachio aut crure, aut quovis alio Membro aperiunt; Fistulam in apertam Venam intrudunt; Vesicam comprimunt, & per fistulam contentum liquor venam infundunt; Venam tandem diligenter claudunt. Post horas aliquot per secessum emittuntur Sordes non secus, ac si per os in stomachum purgatio fuisset susceppta. Experienciam fieri curavis paucis abhinc septimanis Princeps, quem dixi, in Cane, certissimo successu. Alteri Canis eadem arte intra Venas curavis infundi Vinnum Hispanicum; quod Infuso Canis

Canis primùm in saltus & triduia effundebatur, rūm, ebriorum more, cieubabat, demum procumbens in somnum solvebatur, donec crapulam edormisset.

§. 28. Borelli Verba ipsissima non est, ut adducam. Ita verò Sachsius: *Quid circulatio Sanguinis inquit momenti babeat, apprime docet Experimentalis Collegii in Anglia solertissima industria & Experientia, qua invenit, purgantia absque ultra Oris admotione, beneficio Sanguinis Circulati, vires suas exserere; de quo Curiosissimus Caph. Schottus in Mirabil. Artis Lib. XI. cap. 21. p. 891. Idem experimentum Oculatus testis, Generosissimus quidam Comes mibi narravit ore tenus, qui illud coram Principe Palatino, Ruperto, exerceri paucis ab hinc annis conspexerat. Modum talem aperuit: Paratur ex officulis femoris Alaudarum, canalis aut fistula, ad Modum fistularum, que in injiciendis Clysteribus vesice bovine adaptantur: liquor purgans, aut, pro lubitu, aliò modò Corpus alterans, vesica parve, precipue ex Carpione pisce, indicitur; binc vena in Manu aut brachio aue Crure, cum parvo foramine inciditur, è fistula dicta, vesica que foramini intrusa, liquor infunditur, vesicam ne sanguis exsiliat, comprimendo; injecto Liquore foramen clauditur, & ligatur; sic intra boram sanguis liquore purgante impragnatus, cor di, ope circulationis, vires communicat, & purgatio feliciter instruitur. Idem experimentum cum Cane comprobatum se vidisse idem Generosissimus Comes affirmabat, cui post venam sectam similis Instrumento Vini Hispanici portiuncula injecta, cui intra alio quod tempus Symptoma ebris consueta, perturbationes scilicet catarrus, variae gestulationes, vomitiones, tandemq; sopor acciderunt.*

§. 29. Ad quæ respondeo, quod bonâ fide possum, primum quidem, quod Schottum CL. attinet, quo pacto is, vel ipsi Medici Experimentales in Anglia excellentissimi,

Responso.

Experimenti aut Inventi Celebrationm primam mihi præripuerint, ex supra dictis à me (§. videl. i. usqve ad 14. & imprimis hoc ipso §. 14.) abundè patet. Interea ante biennium ne gry quidem mihi de istiusmodi Ipsorum Institutio innotuerat, nec Schottii laudati liber viderat tum lumen, sed inter maximè desideratos adhuc habebat locum principem. Ipsa verò Inventi alicujus ratio ita sese habet, ut excludat quidem omnem, aut qualemcumque etiam prægressam notitiam rei, ab aliis fortassè jam inventæ; non excludat tamen hoc, ut una eademque res nonnunquam eodem tempore, à diversis Autoribus diversa loca habitantibus, quibusquè nulla vel personarum noticia, vel animorum conjunctio, vel rerum aut actionum Commercia, ut sic dixerim, intercedunt, inveniri possit, sic, ut neuter de alterius invento quid olfecerit: id quod exemplis aliis comprobare possem, nominatim fortasse ex Anatome petitis.

§. 30. Deinde quo ad Borellum: ne hoc præteream, Exempla ex ipso petita, valdè heterogenea sunt: Nam Centur. IV. Obs. 6. agit quidem de Anatomia, quam vocat, infusoria vel injectoria; sed res ipsa ac titulus edocet, Actum ibi inculcari non Chirurgico- Pharmaceuticum, sed mere Anatomicum; cognitionis, non operationis aut sanationis ergo. Neque insufflatio liquoris in Venam ab ipso fit in homine vivente tali, ut hic morti admodum vicinus sit, sed in placenta uterina pueri, in lucem recens nati, & victuri indubie annos plusculos. Ac denique ab Autore lac in venas, non liquor medicamentosus aliquis; inque Venas non patentes utcunque & lanceola facilè feriendas, sed in obscuriores quasdam, & Lacte proin implendas, ut visui

visui pateant, intromittitur. Atque dum idem *Borellus* cœteroquin Cent. III. Obs. 58. Cujusdam insufflationis minit; hujus administratio non consistit in adigendo medicamine quopiam liquido ad intranea Venarum, ope instrumenti alicujus metallici, vel ex Ebore, aut alia preparati, sed in sola Labiorum aut Oris, flatu turgidi, applicatione ad Os aut palatum Aegri, ut hoc pacto, halitus hominis sani, intercedente exspirationis & inspirationis operre, transeat ad Vitalia illius, exemplo sectæ cujusdam Medicæ in India; vel (si supernaturalibus istis hæc naturalia collata, referre licet) quomodo DEUS animam Adamo insufflavit, aut Prophetæ quandoque in mortuos resupinos proni, adacto Inspiratu entheo iisdem vitam reddiderunt.

§. 31. *Locum denique ex D. Sachvio allatum quod concen-*
nit, bonâ Conscientiâ respondeo adhuc, quod paulo an-
tè (§. 29.) in gratiam Schotti, [defensionis loco protuli:
id quod verò non opus est repetere, quia jam perspicue sa-
tis ibi causam Inventi mei egi.

§. 32. Cæterum (II) quoad dicti Inventi ipsam *Objetio II.*
 Rem, Administrationem, aut universum hujus regimen, mihi possit objici, *Fieri Chirurgiam Infusoriam citra Canonum scopus venaectionis*, quandoquidem hic in duobus his tantum consistat, ut sanguis vel evacuetur sensibiliter, speciatim per modum vel Revulsionis, vel Derivationis; vel refrigeretur, ut tantum per accidens, ut rectè Galenus loquitur. Quibus si aliquis tertium quendam adhuc velet addere, mihi equidem hic perindè est. In Chirurgia Infusoria verò secundum Conditiones, §. 21, præscriptas administrata, fieri talium nihil; undè videri insuper habenda.

§. 33. Re-

§ 33. Respondeatur; Galeni ac aliorum Methodicorum Admiratores, Cultores, Defensores, quam fieri potest, ac Annulli in magna Medicinæ parte quidem vel sumus communiter, vel esse interdum etiam debemus, ob valde utilia, quæ ab autoribus istis pertractantur: ideò tamen Mancipia Doctrinæ illorum non simus, quò minus Nobis liceat, quod Galeno licuit, h. e. corrigere passim alios, ubi aberrarunt, vel melius explicare, si opera & preium fuerit, vel repudiare in ipsorum scriptis quid, quod restæ rationi, Experientiæ ac Naturæ suffragio repugnat, vel denique quid addere, ubi palam est, rem aliquam pulcram ac utilem priscorum quemadmodum sensus, sic animos iplios, ac omnem indaginem latuisse, uti re verâ Medicina hodiè multis, iisque insignibus partibus politior & excultior est, ac olim, facta cum temporis tractu Inventorum approbatu dignorum accessione. Quibus si meum etiam assertere velit placida posteritas, Venæctionis scopi præcipui erunt tres imposterum figendi, Depletio, Refrigerium, & Impletio.

**Obiectio
III.**

§. 34. Sed (III) fortasse instet quis, dicendo, *ad minimum vires projici, & auram malignam cum extremo Vita periculo ad penetralia Cordis repocari;* ob quam causam Methodicis accurriatoribus solennis ac summa religio sit, sanguinem ex vena in affectibus Malignis, præsertim quando hi jani ad statum progressi sunt, vel ad evidens tantum augmentum, mittere.

Reponso.

§. 35. Respondeo: O quam multa, & memoratu maximè digna dicenda forent hic! Sed Laconismo mihi intendum est. Strictim itaque: An secunda sit Vena in morbis qui Maligni appellantur, distinguendum arbitror ante omnia,

omnia, præter diversam constitutionem Temporis, Etatis ægri, ac ejus Temperamenti, sexus, statu, consuetudinis, habitus plethorici vel non plethorici, &c. inter Morbum fientem & factum: inter eundem malignū ratione causæ, & talem positione ratione Symptomatum supervenientium, ut Claudino placet; porro ex morbis factis, partim inter eosdem cum eruptione materiae peccantis Critica, & sine ea: partim & inter Fermentationum nisi initia, augmenta certè, ac deflagrations; ac denique inter Medelæ scopum Evacuatorium & Injectorum.

§. 36. Ex quibus Cordatus Lector facilè succum & sanguinem elicit. Ut hoc pacto nesciam, quid venerit in Mentem Clariſſ. D. Job. Bokelio, quando is (Hamburger Pest Ordnung part. II. cap. 7. p. m. 80. b.) non modo admittit, sed suadet etiam, in Loco præprimis hoc, cacochymicorum corporum copiâ referto, sanguinis missionem matrandam in Peste quandoque, & instituendam, sesta Vena Cephalica brachii, si tumor aliquis initio Morbi statim post aures, vel in collo eruperit: Vena media autem, si sub azzillis, in pectore aut dorso; ac Vena Tali denique, vel mal-leoli interiore, si in parte abdominis aliquâ. Ego sanè, ut apertè dicam, in hoc quidem loco tale quid non paterer fieri autoritate mea facilè, si quis Mihi vel mille aureos spondeat. Nam, ut taceam, quod limam alioqui Anatomico-Chirurgicam meretur Venæ cephalicæ & mediae in brachio delectus, quem Optimus D. Bokelio, in suisculi gratiam, ultrò condonabimus; attendamus tantum, quæ æquè CL. Vir Petrus à Castro Physicus quondam Veronensis, in libello de peste Neapolitiona, Romana, & Genuensi Anno 1656. & 57. habet pag. 112. ubi, an sanguis in Peste mittendus sit, de-

*Notatur
lapsus alii
quis. D.
Bokelii.*

liberat, & ait: *in sola Febre pestilenti humorali, priusquam appareant Bubones, Sanguinis missionem posse fieri.* Et paulo clarius p. 114. statuit, Bubones quandoque non malignos etiam in Peste erumpere: qui tamen, ut Pestilentes, à Chirurgo tractari debeant; *nec in casu tali ullo pacto debere mitti Sanguinem.* Cur, quæso, tum non debet mitti Sanguis? Ob periculum, arbitror, Retrocessionis, jam supra (§. I.) expositum. Cui asserto fidem firmant sequentia Petri Castrensis verba hæc, p. 167. *Multos vidimus pereuntes infantulos, evanescentibus affatim Variolis &c.* Venam itaque secari in affectibus Malignis, ubi vel jam eruperint Carbunculi, Bubones, Exanthemata: vel proximè eruptura sint, nullatenus suadebo, ut fortè pars fomenti deterioris detraheretur Sanguini: admitterem tamen, & urgerem in statu deplorato, ubi servor sanguinis ut plurimum deferbit, sanguis ipse in gelatinæ aut glutinis speciem concrevit, & omnis reliqua vita spes desperata est, nisi citò subveniat inauditum prioribus seculis auxilium aliquod, quo congelatae sanguinis fibræ resolvantur, pulsusque, nisi debitam suam harmoniam, pristinum tamen robur aliquod recipiant; quale quid de Chirurgia mea Infusoria haud vanè videtur exspectandum.

*Objectio
IV.*

§. 37. Interea porrò (IV) possit objici, Liquorem infundendum non facile admissum à Vena, aut in sanguine dispersum iri, ut inde ad Venam Axillarem ascendere, ac eor subire queat, cum qualibuscunque adhuc intermoriunturientis sensim ac sensim, sanguinis in orbem lati, facilis.

Responsio.

§. 38. Respondeo: Cur, quæso, non admittetur liquor? Vel, quod æger, ob inquietudinem totius corporis, Chirurgi operam moratur? Jam verò plerique agoni-

zan-

zantes quieti sunt, & qui quiete talismodi privantur, iis non
convenit Venæ sectio infusoria, quia non abundant sanguine
concreto enormiter, ac vappescēte: *vel potius*, quod Chirurgus
foramen Venæ sectæ non ferierit apice Instrumenti
Infusorii, ut hōc pactō liquor transeat ad loca subcutanea?
(id quod vero haud facile mihi persuaserim ob fibras cutis
arctè undique coharentes) aut, ut idem liquor regurgitet,
eujus posterioris rei culpa verò penes minus agilem Chirurgum
est, qui propterea Infusionem tantisper retardabit,
donec foramen Venæ sectæ prorsus pervestigaverit: *vel de-*
nig. quod sanguis concreverit usq; adeò, ut occupet omnem
partem Venæ, nec penetrari citò se ab ullo liquore, quam
aperitivo etiam aut diaphoretico, patiatur: id quod ve-
ro Experientia detinunt erit committendum. Neque e-
nim ratio contigitatis in sanguine intra venas concreto
ægris omnibus est eadem; sed latex serosus, nunc hic,
nunc alibi, sine certo ordine fibrarum aut positu, sua habet
diverticula; quo plura, eo magis recurrens adhuc (utut
cum maxima inæqualitate) in moribundis, pulsus est, quo
pauciora verò, &, quo firmius Vitalis Purpura concreverit,
eo certior mors, ut minus speitunc fuerit ex Chirurgia In-
fusoria petendum.

§. 39. Adhæc posset (V) dici: *Chirurgo etiam nimis labore fieri, qui propterea in ipsa administratione errorem non omnem effugere possit*, redundaturum autem conti-
nuò in periculum præsens ægri. Neque enim ullum faci-
lè ab omni latere tam posse habere Argi oculos, aut esse,
ut ille apud Poetas, centimanum, ut in tanto, quo omnia
peragenda sunt, raptu temporis, & exporrigere brachium
ægri, & confricare id linteis calidis, aut Vino calido sovere,

& venam secundam querere, & ligare superne hanc, & se-
care eandem actu, & sectam digito tantisper occludere, li-
gaturamque interea supra locum sectionis parum relaxare,
ac aliam inferiō constringere, & Instrumentum Infusorium
applicare, & liquorem exin exprimerē, & infusum jam jam
in Venam, in motu ad Cor adjuvare, relaxando etiam li-
gaturam inferiorem, manumque supernè fortiter ducen-
do (vel linteum etiam latius) à loco Venæ Sectæ sursum
ad axillam, & foramen obligare, & ventosas denique eti-
am partibus aliis applicare, uti §. 21. dictum est.

Responso.

§. 40. Respondeatur: Ergo dextra, prompto, peri-
to & alacri Chirurgo ad hoc maximè opus est, qui cœtero-
qui neque administris suis, aut adstantium auxiliō careat;
nam & hos officii sui memores esse vult. Hippocrates in A-
phorismorum primo.

*Objec̄tio
VI.*

§. 41. Vel (VI) Maximie omnium; Ni Eventus suc-
cesserit, Chirurgia & Infusoria Inventionem in prima statim et ate ju-
re quodam diffamatum iri. Nisi enim liquidò satis constet de
Rei alicujus Novæ efficacia, Admiratio, stupor, & Exspecta-
tio hominum facile admodum in derestationem, Risum
aut indignationem abit.

Responso.

§. 42. Respondeatur: Statuant plebeja ingenia,
quodeunque velint, Hebetudo & rusticitas, maximum i-
psorum flagellum est. Diffamantur Medicamenta, gene-
raque Remediiorum alia, quando adhibentur, ubi nulla de
ipsis efficaciæ spes supereſt. De uſu vero Chirurgiæ nostræ
retrahantur, si Lectori placet, huc, quæ ſupra, (§. 19.) dixi-
mus, atque illa, utut irritō conatu interdum adhibita,
Exprobrationem qualemeunque & diffamationem ſui fa-
cile vitabit.

§. 43. *Quin*

§. 43. *Quin & (VII) Experimentorum defectus aliquis Objetio
indubie objicitur*, tanquam, quod exemplis non satis pro-
batum est, sine periculo vitæ aut existimationis non suscipi
facile, ad imitationem trahi, aut canone donari possit.

§. 44. Respondeo, concedendo haut gravatim pe-
nuriam aliquam exemplorum, ex quibus, Chirurgiam In-
fusoriam ad Votum successisse, probari possit. Verum,
eo ipso, quo novum adhuc inventum est, per legem quan-
dam Naturæ ac Temporis, annosa gaudere speciminum
pluralitate nequit. Atque sic nihil unquam in universa
Medicina fuissest exsecutu dignum, quia nihil in ea ab Æ-
vo exstitit, sed oriri ac innotescere aliquando cœpit: cum-
que innotuit, non potuit simul novum esse, & experientiam
simul plurimorum Annorum sustinere. Paucis: Inven-
ti alicujus bonitas non tam ex Vetustate, & frequentia u-
tentium, quam rationis ac honestatis moderamine æsti-
menda est. Alioquin ipsius Diaboli artes etiam forent
bonæ, quia sat antiquæ sunt. Placidum propterea ac sal-
vum de Chirurgia mea Literatorum judicium exspecto,
ut ut per mille experimentorum gradus nondum gressâ.
Sufficit, quod, ut probare contendi, recte rationi ac Chri-
stianismo nullatenus repugnat. Et tentasse jam pridem
aliquid, si vel per temporis rationem hactenus mihi licu-
isset, vel constitisset integrè de Chirurgorum facilitate ad
id, aut obsequio condigno. Ut taceam, quod periculo-
sum est, rem novam aliquam, præsertim tam arduam, ten-
tare, ubi solius tuum haut regimen curæ est, turbari sue-
tum à medicastris varii generis, agyrtis, thrasonibus ac
malierculis. Neque causas alias annexam. Experiar ta-
men simile quid in Cane, ut minimum Activitas, Veri-
tasque

tasque Sanguinis, in Orbem redeuntis comprobetur, tracto convenienter liquore aliquo ad Cor per venam sestam Cruralem, aut aliam, infuso. Idque facili, ut existimo, successu. Nam canes, vino per venam infuso inebriatos, superius ex Schotto & Sachso (§. 27. seqq.) retulimus. Purgantia verò an quicquam valitura in ipsis sint, equidem adhuc nescio, partim, ac in genere, quod Lis inter Medicos nondum planè composita est, quo Pacto purgantia in Corpore Animali agant; partim, ac in specie, quod experimento norim, in cane uno aut altero, sat magnam Virtutem Antimonialis, in pulverem redacti, partem, nominatim grana XXIV. & amplius, cibis adspersa, nullum prorsus ejectionis effectum edidisse, sive, quod acidum Ventriculi in ipsis admodum activum sit, quo ejectoria emeticorum & catharticorum vis non parum suspendatur: sive quod pulvis ille, carni cocta aut assata adspersus, obtusus fuerit à pinguedine ejusdem; sive quod Canum ventriculi celeris admodum digestionis sint, ut transmittant certius cum crassamentis chyli noxiā aliquam rem, quam ut perfectè recipiant dejectoriam hujus irradiationem; sive denique ob intimam Naturæ proprietatem, cuius beneficio quemadmodum Aves alioquin varii generis, Araneas impune deglutire videmus, ita cæteroquin neq; opii aliquantam partem Canibus aliis obfuisse, solutionem illius cum cibo deglumentibus, comperti. In Catti domestici verò alicuius venam, curiositatis ergò, infundam, cum Tempus & Occasio suppetet, Sanguinem muris, vino calido commistum, atque antipathias respectu, Eventum præstolabor.

§. 45. Immò etiam in homine Experimentum Chir-

*Autoris
Observatio
in Canibus.*

Chirurgiæ Infusoriæ (purgatricis verò, non sudativæ) factum jam fuisse in *Anglia* aut alteribi, jam in superioribus pertractatum est: ut nullatenus dubitem, quin intercessu ejus sudor contumaciter interdum emanens, revocari possit.

§. 46. Hoc saltem (VIII) denique ut ingenuè fate-^{Objetio}
ar, Scrupulum aliquem adhuc mihi fovet; *Cujus Naturæ VIII.*
ac Conditionis conveniat esse liquorēm, Vena sc̄tæ infundendum,
quo scil. descendere quantocvus valeamus ad penetrandas sine molestia, ac *Venæ ipsius corrosione*, in tanto temporis, quod penes agonizantes est, præcipitio, Sanguinis coagulati fibras? Nominatim, an liquor debeat esse Naturæ vel Salinæ, vel Opiatæ, vel Sulphureæ, vel cum Miasmate pravæ homogeneæ, vel alterius qualiscunque?

§. 47. Nam etiam si haud parum præfidii, (nisi potissima ejus pars & cardo) recubare videtur in *Spiritu aliquo Salino* ac volatili, e. g. Salis Ammoniaci, si media ejus drachma cum drachma integra Spiritus Vini Camphorati, ac drachmis duabus cum Mediâ, Aquæ, aut Spiritu aliquis confortativi misceatur, & adhibeatur dein modo debito; & majus fortè auxilium adhuc, in Spiritu ejusdem salis Ammoniaci & Tartari composito, cuius formulam ac vires, insignes admodum, celebratas vide apud *Celebratissimum multâ Meritorum laude Dn. D. Guerne-rum Rofincium*, Fautorem meum singularem, lib. III. Art. Chim. Sect. 2. artic. 1. cap. 22. p. 171 ad majorem dosin, sanguinis respectui debitam, adscendere vix licet, ad vitandam Tunicæ Venosæ qualemcumque arrosionem.

§. 48. Attamen multò minus ad opiate configere hic consultum est... Nam hæc etiam penetrantia quidem valde sunt, unde gravissimorum Autorum consensu & ex-
peri-

perientia multiplici constat, maximè palmarium robur Theriacæ, Mithridatio, Philomis ac Laudanis, Requie Nicolai, Discordio Fracastorii, &c. accedere ab Opii Mescal; quia tamen idem opium simul ob qualemcumque inhæsionem sulphuri alicujus pravi, sylvestris, ac Narcotici, Spirituum motus efferos, & concitatores sanguinis turbas frænandi domandi, ac sopiendi habet vim; ideoque ne quies fortè lethalis necatur in casibus Chirurgiæ Nostræ subjectis ex usu opii, utpote in quibus, ob ipsissimam tarditatem & languorem quieti proximum sanguis potius est excitandus, quam componendus; meritò Medicamina ea, tantoperè suspecta, procul hinc arcemus.

§. 49. Ethorum loco de Sulphureis etiam & balsamicis aliquid anneximus. Ea miris modis extolluntur à supra aliquoties laudato Castro, usque adeò, ut spirituosa aliquin Medicamenta, Alexiteria vocata, & Magisteria Chymica, ipsaque salia Theriacalia, ab Actio & Galeno tantoperè laudata (quantumlibet vim penetrandi nobilem habentia) simpliciter tamen reprobet, & mortem potius inferre statuat, quia potestate careant, visciditatem sanguinis destruendi, & fundant tantum in eo, forasque expellant Succos inculpabiles, relicto intus pestilenti hoste. Solam autem vim, sanguinis fibras dissipandi, existere automat in sulphure, & excellere quidem mirabiliter in eo; uti hanc suam sententiam plusculis diducit pag. 104. & 105, libri de Peste Neapolitana. Quo in loco Autor quidem maximè agit de Internis Medicamentis, quæ conciliandi Sudoris ergò in Peste præscribantur: facile tamen hinc tellum aliquod confici posse contra Chirurgiam nostram, (aut dubium certè non leviculum) patescit, quia Medicamenta, quæ juxta Inventionem mean, per siphonem aut fistu-

fistulam veniunt in Venam insufflanda, non tam externa sunt, quin subito interna fiant, & in eandem Petri Castrensis censuram incident.

§. 50. *Thomas Willisus* vicissim, acutissimi Ingenii Vir, lib. de Febr. cap. 13. p. m. 236. inter medicamenta Alexipharmacorum, maximè necessaria aestimat ejusmodi, quæ cum *Miasmate pravo Harmonica* sint, & cum illo soveant amicitiam quandam Naturalem. Secus, non dissolutum iuri gelatinam Sanguinis, quia, ut alioquin argumentabatur jam ipse *Petrus à Castro*, suo Juri ac imperio identidem linquatur mali pestilentialis fomes ac hostis, naturæ humanae infensissimus.

§. 51. Quæ omnia hactenus allata, ut plausibilia ad. *Responso.*
modum sunt, sed tamen quodammodo discrepantia inter se; ita videndum, in plenioris discursus procuratione futurâ, fuerit, ut exitus ex talismodi etiam Labyrintho inventi possit, arrepta distinctione commodâ, qua, tanquam filo Ariadneo, via dirigatur; nexo fortassis quoque jam: sed Animum interim curis posterioribus cum ipso calamo servemus.

§. 52. Atque ut claudamus magis magisque totam *mentem*.
reni cum mentione Ejus, qui primus Motor per Epistolam suam mihi extitit, qao Curam istam Chirurgico-Infusoriæ è situ, quem initio tetigi, duorum Annorum, revocarem, non supervacaneum existimo, addere strictum paucula adhuc, quibus suam etiam de infundendi Liquoris Conditione sententiam mihi intimavit *Sachsius CL.* in litteris die 13. Aug. St. Novi hoc Anno (1664.) scriptis ad me: *Inquiris inquiens de remedio quodam singulari penetratissimo, quod minima dose possit infundi, & sanguinem quasi crescentem, rursus fundere St. Sedardum, inquirere tam efficax*

remedium, quod præcipue in Acutis & malignis non simul calorem
præter Nat. augeat. In Hysterieis & Apoplecticis fortean faci-
lior via per Q. E. Matthioli, aut Elixir Vita, quale Magni Dis-
cis Heteruria est. &c. &c.

§. 53. Respondeo sub finem, egregia admodum & ex-
quisitæ Eruditionis plena quidem esse tam hæc, quæ modò
allegavi, verba mei Sacbfis, quam reliqua, quæ imposterum
annectam: condonet tamen mihi hanc unicam dissensio-
nis speciem honoratissimi Amici integritas, quod Scopus
inventi mei usq; adeò ad Affectus fluidioris sanguinis adhuc
directus non est, ut potius interrupto & lusperso alicubi, ob-
vifcidit atem, & jacturam spirituum, ejusdem motui medelam
conferre tentet, fuscitando, ope Liquoris cuiusdam pene-
trantioris, novam quasi in Sanguine Fermentationem, quâ
Fibræ utcunq; rufus dissolvantur, conjiciendoque corpus
artificialiter admodum in Febriculam, (tanquam morbum
minorem) seorsim dein gubernandam, ad similitudinem
quandam Naturæ vel Hippocratis, qui observavit, Convul-
siones & distensiones Nervorum, tanquam affectus, quorum
causam indubie à frigore petiit, Febre subsequâ resoluti, 4. Aphor. 57. & imprimis in Prænot. Coacis.

Conclusio.

§. 54. Literatos Cordatiiores precor, opellam hanc
meam scrutaturos, ut sine labore momenta ejus ponderent,
judicium de iisdem sine acerbitate, & liberam hoc pacto
quidem, tam ad approbandum quidem, quam dissentien-
dum, si ipsis videbitur, & quaniam tamen etiam, & Homini
ne Christiano maxime dignam voluntatem ferant. Ita,
quod haud vane auguror, Gloria Urbanitatis penes Ipos ma-
jor, quam Contradictionis erit.

Finis Prodromi.

•S(35)S•

III.
EPISTOLICA
CLARISSIMORUM
VIRO RUM
JUDICIA,
DE CHIRURGIA
INFUSORIA AUTORIS,
citra ullius Præjudicium, & solo Temporis respectu,
quo ab ipsis conscripta sunt, sic locata:

I. D. Phil. Iac. Sachſii.

II. D. Job: Michaëlis.

III. D. Job: Daniel: Horſii.

IV. D. Laur. Straußii.

V. D. Job. Tacký.

VI. Henric. Oldenburgý.

VII. D. Iohannis van Horne,

VIII. D. Thom: Bartholini.

IX. D. Job: Ionſtoni.

X. D. Casp. Marchii.

XI. D. Job: Theodori Schencký.

XII. D. Henr. Volgnadý.

XIII. D. Georgý Segeri.

XIV. & XV. Christiani Fridz:

Garmanni.

I.

Ex literis aliquibus

Nobilissimi, Praclarissimi, Experientissimique

DN. D. PHIL: JACOBI SACHSII,

à Leumheinab/

Chymatri in Repub. patriâ Vratislaviensi, dexterimi,
nec non Collegæ,

*Nobilissima S. R. Imp. Academie Natura Curiosorum ,
magna Scriptorum laude clari,*

ad me, Chirurgiæ Infusoriæ Autorem.

§. 1.

Ex literis, d. 13. Augus. St. N. Ann. 1664. scriptis: Inquiris de
Remedio quodam singulari, penetrantissimo, quod mi-
nimâ dosi possit infundi, & sanguinem quasi concrescentem
rursus fundere. Jam si Q. E. aut elixiria, in Vulnera infusa,
tam proficia sunt, sanguinem concrescentem dissolvendo, la-
bia mundificando, robur parti læsæ addendo, ut facilius se u-
niat, quidni forsan & tali Q. E. tentari possit injectio in Ve-
nam? sed arduum, inquirere iam efficax remedium, penetrantissi-
mum, quod precipue in acutis & malignis non simul calorem prater
Nat. augcat. In Hystericis & Apoplecticis fortean facilior via
per Q. E. Matthioli, aut Elixir vite, quale Magni Ducis Herbarie
est, aut Elixir Vitæ apud Sebröderum, Hildanum. &c. de quibus in
Ampelograph. p. 510. & in quo cardo rei versatur, si penetrantissi-
mum Sal volatile succini, C. C. aut potissimum Viperarum, in tali
Liquore solutum insunderetur; siquidem hoc maxime penetrat,
ob Balsamicam Viperarum vim, Naturæ Humanæ amicissi-
mam &c.

§. 2. Et

§. 2. *Et mox: Dum sigillo intentus sum, præter spem invenio Liquorem maxime restaurativum ex Spiritu Cinnamomi cum oleo succini albi digesto; in quo post Sal volatile C. C. tandem lapides preciosi, in Spiritu quodam Secreto soluti, dissolvantur ac uniantur; Processus mihi ab amico communicatus, &c.*

§. 3. *Ex aliis ejusdem literis, d. 20. Decembr. St. V. Anni ejusdem scriptis: Prodromum Chirurgiæ Tuæ Dn. D. Michaël ante octiduum per postam transmisit, quæ perplacuit, & placabit, quibus Acetum erit in pectore. Gaudio, meis literis ansam fuisse, ne ulterius proximo deficeret generosum hoc remedium, principiè ubi imposterum experimentis erit confirmatum.*

§. 4. *De liquore injiciendo nunc versatur rei cardo. Nescio, an nuperrimè misturam penetrantissimam, quam quadantenus huic negocio convenire posse judicavi, ex Spiritu Cinnam. cum oleo succini, Juniperi, Sale volatili C. C. & lapid. quinque preciosi. in Spiritu Salis compos. solutis, pleniùs descripsericim. Quod si nondum factum, ad nutum transmittam tuo ulteriori exactissimo Judicio pensitandam. In Pleuritide Willis d. Febr. cap. XI. f. laudat ea remedia, quæ sanguinis coagulationem impedian, aut inter coagulandum dissolvant, qualia, que Sale volatili aut Alcalisato plurimum abundant, ut Spiritus fuliginis, sanguinis, C. C. Spiritus & Sal Urine, item ex oculis Cancrum, eorumque cibis. &c.) Hæc CL. D. Sachsius. Confer Prodromi mei §. 52.*

II.

EPISTOLÆ PARS,
Superius in Prodromo, §. 16. allegatae,
Autore

Magnifico, Nobilissimo & Celebratissimo Viro,

Dn. D. JOHANNE MICHAELE,
Hæreditario in Vendörrff/

Prof. P. Serenissimi Electoris Saxoniæ, nec non Prin-
cip: Saxo-Altenburg. Archiatro, & Facult. Med: Decano
perpetuo in Academiâ. Lipsi. &c.

Domine Doctor, Amice singularis: Emplastrum Magneticum & attractivum Te accepisse gaudeo. Expertum & probatum est in multis. Non est, ut pro transmissione gratias agas. Ejus præparationem communico; sed ut in secretis retineas, rogo. &c. - - - Quod de Medicinâ Infusoriâ Prodromum in Lucem emittere Animam induxisti, cum gaudio percepi. Est enim materia memoranda, rara, paucis cognita, & inaudita, multum in recessu habens. Ne alius præveniat, matura Editionem Prodromi. Augeri postea potest post primam Editionem. *P. Caspar Schottus è Soc. Iesu* utique etiam in Mechanicâ Curiosâ Libr. XI. cap. 21. pharmaco purgativo per apertam Venam purgandi Corpus, Exemplum & Experientiam habet; præterea autem (præter Borellum) nemo. Cum stupore & admiratione summa perlegent multi Lectores. Experimenta egregia fiunt in Collegio Experimentali. In Ulcere Vesicæ experimentum inveni per curam Magneticam cum pulvere sympathetico. &c. Hisce optimè & ex voto Vale. Raptim. Lipsiæ, Ann. 1664. d. 24, Septembbris.

T. Totus

Joh. Michaël, D.

III. JU.

JUDICIJUM EPISTOLICUM

Mœno - Francosurti primūm impressum,

Viri Nobilissimi, Excellentissimi, Celeberrimiq.,

Dni. D. JOH. DANIELIS HORSTII,
 diversorum S. R. Imper. Principum Archiatri, & Academiarum Professoris emeriti, nunc Physici in Rep. Francosurtana primarii, & Collegii Medici ibidem Senioris,

S. P. P.

§. I.

LIteras Tuas exoptatissimas cum Prodromo Chirurgiae Infusoria rectè accepi, avideque perlegi, atque singularem tuam eruditionem exinde denuò deprehensam exosculatus sum serio. Omnia enim pro more Tuo, tām politē tām doctē & appositē à Te exarata sunt, ut laudes mercaris & annos Nestoreos, quibus Artem Medicam pergas doctissimis commentis illustrare.

§. 2. *Anatomiam Infusoriam quod spectat, illam exerceverunt, præter Borellum, Sylvius, Bellinus & Alii. Medicina autem aut Chirurgia Infusoria, de qualoqueris, primum mihi relata fuit Moguntiae ab Amico meo integerrimo D. D. Rappio, ex relatione nempe Principis Palatini Roberti. Et hinc sua forsitan habet Schottus & alii. In doctissimo verò Tuo Prodromo Chirurgiae Infusorie tria præcipue inculcas recens scripta, nec occurrentia facilè in literis antiquiorum: Venæ sectionem nempe, ingestions ergò, Intercepti sudoris causas in competentes classes distributas: & Fermentationem sanguinis penes agonizantes quos-*

quosdam studio per artem suscitandam, ut inde sudor revoceatur nominatim in Morbis, quos maximè Malignos dicimus.

§. 3. Quod primum attinet, non memini, me legisse unquam, *Venæ sectionem Ingestionis gratia à Veteribus adhibitam*. Ephiræ docuerunt *Siculos*, sagittis veneno imbutis, per vulnera inficta interimere. Imò per contactum rerum venenatum. Hinc *Lycogenes* monet *Poliarchum*, ne armillam *Meles andri* infamibus illitam succis gestet: Mortem enim circumacturum brachio, non armillam. Si damnatum servum, vel humaniori consilio, jumentum aut canem velit perire, nudæ illius cuti hoc donum componat. Nisi intra quadriduum moriatur, se qui vivat indignum esse. Si sapiat, pestiferi doni Latorem *Timonidem*, coactus, ut mortem induat, quam ipsi non inscius porrigat. De *Malitiosa scarificatione*, nosti quid referat *Parens meus Oper. Med. Tom. II. lib. 9. ex Schnizero, Librio, & Boxbartero.*

§. 4. Per *Sagittas* itaque veneno imbutas atque *Scalpella*, si sanguini à Maleficis ingestio succi lethiferi facta, necem dices, & mortem insert, alexiterium injectum venæ vice versâ Vitam dabit.

§. 5. Præsupponis enim casum, in quo ultimus curandi apex in promotione *sudoris* ob cessantem motum sanguinis deficientis consistat; quanquam experientia testetur, sèpius per nimis prolixum *Diaphoreticorum* usum, indeque motum sudorem, malum fieri pejus in ipsis non raro morbis malignis, quae de re alio tempore. Nunc quæstio est *Tibi de Sudoris Necesitate*, si ob viscidityatem & jacturam Spirituum, meatuum quidem culpa, is deficiat, nec procurari possit, si nempe per eos Medicamentum aliquod sudoriferum per os assumptum, venas non possit ingredi, uti necesse putas, & hinc concludis, nul-

nullò aliò modò convenientius & compendiosius Sanguini communicari posse medicamentorum necessariorum virtutem, quam ingestionē per apertam venam, ut hoc modo in agonizantibus *nova sanguinis fermentatio & motus instituantur.*

§. 6. Hic primo dispiciendum esset, an fermentatio Tua desiderata & deficiens à *venis* sit, aut ab *arteriis*; an sanguinis & Spirituum descensus, vel ascensus procurandus videatur. Deindè pensiculatius inquirendum, unde sanguini Motus, & quæ causa motum sanguinis impeditat. Quidam *Fr. Collus* lib: de *Sanguine Christi* sanguini attribuit impressam quandam *Virtutem*, à qua etiam accidat *cruentatio cadaverum* præsente homicida. Sed *Moles* & alii negant naturale principium aut causam in hoc casu latere posse, qua de re fuisus Parens meus p. m. singulari tractatu agit. Sed hæc obiter. Alii aliam *Sanguinis insitam virtutem* producunt, à qua nempè Sanguinis contingat motus, *Harvejum* secuti, quod is aperto Cordis ventriculò motum observarit. Sed cuiilibet patet, motum illum esse à Cordis agitatione. Quidam ex Veteribus, non solliciti de Sanguinis motu particulari, ejusque causa speciali, sanguinem putarunt esse ipsam *Animam*, quos tamen refutat *Lactantius*, exemplo *luminis*, quod non dici possit oleum, etiamsi consumo illo lumen extinguitur. Lumen ali oleo, Animam sanguine. Alii ebullitione fieri putant motum sanguinis, ex Aristotele & aliis Veteribus, quod tamen Circulationi contrariatur. Alii sanguinem sursum à Spiritibus vehi per venas, deorsum verò per arterias deferri impulsu Cordis per systolen arbitrantur. *Tb. Cornelius Conf.* Sanguinem ad correfluere & moveri putat, ob venarum Conscientiam & membrorum circumiacentium pressum. Alii configiunt ad *Hel-*

montianum fermentum finistri Cordis ventriculi vitale & Luminosum, quod sanguinis in Spiritum vitalem transmutationi praesit. Et hinc quidam motricem facultatem sanguinis cum pulsifica arteriarum, soli *Cordi* adscribunt, perque experimentum *Galeni*, quod quidem in dubium vocat *Harvejus*, probat tamen *Tb. Cornel. Conf. in programm. Alex. Maurocordatus in Pneumatico Instrumento circulandi Sanguinis*, Pulmones negat flabella Cordis, quæ ventilent & fuligines expellant; sed illos statuit Pneumaticum sanguinis circulandi instrumentum, quod *sanguinem* calefaciat. Ita quod Pulsus, ait *Helmontius*, non fiat in natura ob refrigerium cordis & fuliginum difflatum, dissecta rana docebit. In viva rana enim, videbis cor ejus & arteritas moveri, cor singulo pulsu sive per diastolen rubescere, & per compressionem magis pallescere, et si diaphonum non sit. *Venis & Arteriis* ipsis *Sanguificationem* quidam, *Virtutem* tamen motricem sanguinis adscribere, & ab illarum structura motum sanguinis & Spirituum derivare, nemo haec tenus credidit, uti seri secretionem, *in Ductus Renales* factam, *Bellinus* non per attractionem, non per familiaritatem, non per sympathiam contingere, sed una & sola vasorum configuratione hoc expertente perfici putat, quodque olim subolfecisse videtur *Laurembergius*, quando emulgentes Elices potius, sulcos quasi aquarios, dicendos putat, uti quoque ante *Bellinum* olin *Barthol. Eustachius*, centum ab hinc annis, vasa ad extimani renum superficiem pertingentia (quæ satis conspicua sunt, si venæ & arteriæ emulg. liquor coloratus injiciatur) demonstravit.

§. 7. Quicquid sit, queritur, quomodo in Agonizantibus necessaria *nova* sanguinis fermentatio, & motus, excitata nempe sanguinis motrice facultate, possit excitari? Medicamenta

menta per os sumpta non sufficere *infers*, quia in ventriculo longis digestionum momentis subjiciantur, & intra cavitatem intestinorum porrò magis magisq; infri gantur, deque viribus suis deperdant, aut imprimis modò hanc, modo illam alterationem luscipere opus habeant à miscela forte **confluentium** ibi biliosi humoris, & succi pancreatici, & per consequens, in venas non venire, nedum sudorem revocare aut restituere valeant.

§. 8. Sed ipse nosti, *Excellentissime Vir*, cordalia germanam & communem costionum viam non ire, quia ex tempore juvant, & vix adhibita aut applicata refocillant. Abeunt citò pede ad Cor, si benè conjecturæ olim locum dedi *Obser.* *Anat. p. 34.* non tantum per lacteos thoracicos, sed & per peculiarem meatum oesophago implantatum, & per ductus insuper nobis ineognitos; utilactis materia ad mammas procedit subito, utut viæ immediatæ à ventriculo ad mammas non adeò patulæ sint aut visæ. Sed & ipsa *cordialium* fragrantia multum hic præstat; Odores enim valde penetrant, adeò ut pestilens odor, naribus non perceptus, Archæum horrore quatiat. A *ventriculo* autem immediate quasi *Cordalia* ad Cor posse invehī & hinc patet, quod illi, qui animi deliquium patiuntur, circa præcordia sentiant illam Syncopen, citraque somnum suspendi omnem conceptum experiantur. Utī autem humor heterogeneus à ventriculo tam facile pervenire potest ad cor, *Lipotymiam* inducendo, ita quoque medicamentum cordiale generosum à ventriculo ad cor derivatur, ad tollendam Syncopen, & deliquia, sudoremque ciedundum. *Odores* sunt, qui dolores capitis, nauseas, vomitus, tusses, singultum, vertiginem, epilepsiam, apoplexiā, dysenteriam, movent atque sui contagio inurunt. Sed sunt quoque

alii, qui consimili modo eadem sanant, aut saltem mitigant, si radicem fixiorem habent. Eodem modo in corpore nostro dantur *humores adversi*, qui lipothymias inducant motu repentinō & velocissimo: Sed & dantur *Cordialia*, quæ & que benè eam tollant citra ambages, atque ita ab his sepulta sanguinis Fermentatio resuscitari, & motus deficiens restitui possit, nisi res planè conclamata sit, quo in casu nec Chirurgia Infusoria locum habebit.

§. 9. Quod attinet Medicamenta Cordialia acidiuscula, ab illis nihil sinistri metuendum: non enim omnia acida, semper & ubique adstringunt, maximè in *morbis & febribus malignis*, ubi in specie *Mixtura simplex Vitriolata* ritè parata, insigne quoque est deoppilativum pharmacum, ut & *clissus & Acidula*, & alia *Vitriolata*, ut immerito ab iis metuenda vis adstringitoria, si præsertim cum *Camphora* & aliis alexipharmacis miscantur. Imò si rationem penitus expendamus, cur *Acetum lipotbymiam* tollat, Acida ipsa triumphum agent. Et hinc *Acor* fermenti organon multis dicitur, *Acor*, inquam, Germanus, conveniens, non adulter. Et hinc acida in malignis febribus multum afferunt auxilii.

§. 10. Bezoarticularum Confectionum appropriatarum operatio non adeo tarda est, inter quas valdè eminent sal viperarum & serpentum, Spiritus C. C. Oleum Camphoræ & similia.

§. II. Si vero ex his nihil agonizantibus solamen adferat aut auxilium, liquore per incisam venam sanguini admixto fidis, reversurum sanguinis sepultum motum, & fermentationem silentem iri excitatum, ipsamque vitam. Sed si principium Motus & fermentationis sanguinis non dependet aut consistit in ipso sanguine aut venis, & in casu tuo absentia motus & fer-

mentionis sanguinis propter spirituū jacturam, deflagrationem, & defectum accidat, non video, quomodo absentes tum spiritus motores revocari possint, sanguini infuso liquore quodam, qui sanguini quidem, non tamen ipsi spiritib⁹ absentibus revocandis, illorum fermento aut officina jungitur. Si à pulmonibus, aut sinistro cordis ventriculo sanguinis motus, spirituumque processus oritur, tunc illis calcaria adhibenda, non venis, illarumque sanguini refrigerato jam quasi, otioso, degenerato, & spiritibus, ob arterias concidentes, destituto. Hinc & vena in Mortuis quoque sanguine repletæ inveniuntur, arteriæ non item.

§. 12. Dices: non omni penitus spiritu sanguinem venosum in agonizantibus destitutum esse, superesse potius quid, quod excitari possit à nobili & Canonico pharmaco, sanguini admixto, non aliter, uti videmus extinctam candelam fumigantem adhuc iterum facile accendi ab alia ardente ipsi appropinquante. Ita si ponantur duæ candelæ, quæ prius diu arserint, una quidem spuma inferior altera, superior autem sit parum obliquo situ, & exsuffletur flamma candelæ inferioris, fumum simul, atque tetigerit flammarum superioris candelæ, illuminari, comburi in Gas fuliginosum, & descendere sic flammarum per fumum usque ad candelam fumigantem.

§. 13. Pulchra, fateor, talis esset spirituum rebellium & difficilium revocatio. Vere tamen, ne in sanguine venoso refrigerato non procedat hæc res. Spiritus enim si quos ipsi inhærcere adhuc apud agonizantes perhibeamus, videntur Baconi mortuales esse, minimè scil. sibi adhuc continuati, sed tanquam abscessi & circumdati corpore crassiore, quod eos intercipiat, quemadmodum aer permixtus sit in nive, aut spuma.

§. 14. Ego rem planè difficultem puto, sanguini, Spiritibus ipsi olim concatenatis deflagratis, novos accessuros *Spiritus*, post injectum ipsi liquorem, cum denegato & cessante sanguinis motu, ad ipsam Spirituum cellam vix ac ne vix quidem humor ille possit deferri, maximè in Animalibus nobilioribus. In ignobilioribus scimus, non adeò cancellatos esse *Spiritus*, sed per universum corpus fusos, uti in serpentibus, anguillis, muscis patet, quorum singulæ portiones abscissæ morventur.

§. 15. Si tamen rationes contrarie & experientia, hæc, quando animi gratia & discendi studio Tibi, Excellentissime Vir, respondeo, annihilet, deliberandum erit quenam secunda Vena veniat. De quæstione, an *infebris* & *morbis malignis* vena secunda sit, nolo quicquam jam monere. *Parens* meus hanc rem satis prolixè executus est, & ego contra Thonerum. Nec diffiteor, *Bokelium* excusari posse, si vena sectionem debitam & convenientem scil. ursit, *modicam* nempe, & in principio atque accessione mali: Nolo tamen quicquam hic repetere ex *Parente* meo, aut Germanorum *Galen*o Clarissimo, *Sennerto* Tuo, qui satis dilucidè hanc rem exponunt.

§. 16. Ad rem! Quæritur, quæ vena eligenda in *Vena sectione infusoria*? An *jugulares*, ut eò citius forsitan injecta *Pharmacæ* ad *Cor* & *Cerebrum* venire possint? Multi quidem venarum harum apertioñem non concedunt, sed hoc satis accuratè refutat *Severinus* in *Chirurgia Efficac.* cum & *Veteres* in *Apoplexia* illa usi sint. An *frontis*? An *Narium*? An *Labiorum*, *gingivarum* aut *palati*? An *lingua*? Si verò decreta maneat *Sectione* in *bracio*, quæritur, in quo latere sit adornanda, & ex qua vena sanguis extrahendus, cum *delectus* venarum in totum damnari vix possit.

§. 17. Ipse

§. 17. Ipse liquor injiciendus non minorem parit difficultatem. Puto ego, sulphurea & opata praestare. De Opiata minus Germanè ignosce, Excellentiss. Domine, judicas. Illorum enim Sulphur, à quo Spirituum motus efferos & concitatoris sanguinisturbas frœnandi, domandi & sopiendi vim obtinent, feliciter Sudorem desideratum conciliat. Crede mihi, in febris malignis petechialibus, variolis &c. Opiata utramque paginam absolvunt, & hinc gravissimorum Autorum consensu & experientia multiplici constat, maximè palmarium robur, Therica &c. accedere Opii miscela. Opium est summum sudoriferum, Venerem insuper excitat, Spiritus congregat & ita roborat, ut insurgant in quemcunque morbum.

§. 18. De sulphure communi notum est, quod ejus fumus cadum vini à corruptione liberet & præservet. Eadem facilitate Sanguinem nostrum liberabit & præservabit, si illo utamur modo debito & convenienti, Hippocratem secuti; qui juxta Helmontium pestem sulphure sustulit. Quoad Chirurgiam verò Infusoriam, eligerem ego non sulphur commune, sed Sulphur auri, tincturam auri ex auri sulphure cum Spiritu Vini & Saccharo param, qua de re eleganter differit Collega meus Excellentiss. Dn. Tackius, in elegantissimo libello de Consanguin. Auri, sacchari & Spiritus Vini. Hanc tincturam leviter imprægnarem Campbo-re & Opio benè præparati amicis sulphuribus. Dum hæc de Sulphure scribo, accipio literas longè gratissimas à Nobilissimo Dn. Sachio, in quibus inter alia querit, an Color coctorum Astacorum sali, an sulphuri adscribendus sit, atque concludit, Sulfuri assignandum esse, quod partes sulphurea ubi aquæ humiditas, quæ rubrum colorem distemperaverit, per coctionem evaporaverit, in superficiem crustæ evocetur. Nescio ego, quid dicam. Hoc scio & sapius vidi, cancros ad thermas

mas Berthadinas captos, non rubescere cocturā, in quibus forsan plus sulphuris, quam in aliis. Difficilis res est, Colorationum dare causas. In Salibus rubedinem latere quoque, testantur multæ & variæ operationes Chymicæ: ex Cbymia autem colorum naturam addiscere optimè licet, unde veteribus operatio in Vera Cbymia dicitur colorum quatuor excitatio. Paracelsus hinc profitetur, colores omnes provenire à sulphuris & salis Natura; Iacobus verò Hollandus tres constituit Colores varios, qui secundum ignis regimen & sulphuris naturalis in materia motum se essentialiter præbent in corpore, videlicet niger, albus, ruber. Nicolaus autem Flammellus rubrum colorem in specie deducit ab igne seu sulphure. Rob. Fluddus à Sulpure omnes colores oriri probat in Anatomia Panis & Tritici, quod Tritici sal volatile primo fuerit album, soli verò expositum acquisiverit colorem Jacinthi, poste à rubini, denique ob multitudinem sulphuris solaris attracti, grana- ti. Paulo post, ante colorum Annulum, carbonem allegat.

§. 19. Nigredo, *ait*, est in carbone non accenso, indè arguens formæ sulphureæ absentiam seu occultationem in sale centrali: quare more Chaos confusi omnia ibi tenebris sunt obruta. At si parum inflammam accendatur, Coeruleum affert colorem, in quo est multum nigredinis seu fumi nigri & parum flammæ: at si plus flammæ croceæ adsit, & minus fumi nigri, vel si fumus sit aliquantulum subtilior, quam in coeruleo, viridis color erit: At si æqualis fuerit carbonis nigri cum igne sulphureo corpori ipsius adhærenti, tum rubeus produce- tur color: ubi verò flammæ pars tenuior est in aëre, ibi flavus proveniet color: albedinem verò in aëre illustrato invenie- mus.

§. 20. Sed ut dixi, multæ tinturæ, multi colores dan- tur, quorum color rubeus videtur provenire à sale potius, quam ful.

sulphure, adeò quidem, ut multi etiam tincturam antimonii credant plus hautire rubedinis à *sale nitri*, quam ipso *sulphure* antimonii aurato. Cristallos rubicundos auri à Salina Materia parant. Tinctura *Martis*, quæ fit per acetum *Saturni* affusum illius Cristallis, sali plus debet, quam *Sulphuri*. Ita Cinabaris ex calce viva & Mercurio sublimato parata idem probare videtur, ut & *Tinctura Martis* per liquorem *Nitri* adornata. *Color amethystinus* *Talci* ab ignis tortura ortus, non redolet *Sulphur*. *Vitriolum excopro* per *Spir.* *Nitri* paratum si destilletur, fumos dat rubentes. *Mixtum Sali Armoniaci* mixtum in igne rubedinem amittit. Multa insuper corpora sunt, quæ videntur destitui *sulphure*, cùm in nullum *sulphur* possint resolvi. Si autem *sulphur* esset principium hypostaticum, ex eo omnia corpora construerentur, & in id quoque resolventur. Sed ad rem nostram!

§. 21. Commodè Mihi nunc incidit, me legisse aliquando in Homili. *Nierembergii*, Jesuitæ Hispani, in tribus *Magorum* oblati, *Auro*, *Tbure*, *Myrrhalatere* sumnum & excelleas vitæ pharmacum, si ad Mentem *M. Ficini* una pars *auri* 16. partes *myrrha* & 23. partes *tburis* ritè misceantur: & recordor, mihi narrasse quendam Rever. *Episcopum*, se uti quotidie summò cum successu tali mediò. Quod si itaque *Spiritus Vini tbure* & *Myrrha* imprægnetur, pro *auri* elicienda *tinctura* venis injicienda, ut eo melius sic *Spiritus* possit excitari & sanguis moveri à Venæsectione Infusoria? Myrrha certè resistit putredini, & hinc roborat atque confortat, ut proinde quidam Veterum putarint, *Christo* fatigato in *Cruce*, *Vinum myrrhatum* fuisse confortationis gratia exhibitum, ut dicitur nempè cruciatus patetur.

§. 22. Denique *Sacra Noster* Clariss. faciliorem putat

Chirurgiam Infusoriam in Apoplexia & Hysterica passione, quam in malignis & acutis Morbis, quod per injectum liquorem facile calor præternaturalis in his augeri possit. Responsioni Tuae addo ego, forsan Suffitus plus profuturos, uti ego quidem sæpius feliciter expertus sum, secutus Hippocratem nostrum, qui frequenter in variis Morbis illis usus est, ut non immerito doleat in quodam loco Helmontius, suffituum doctrinam suppri-
mi. *Sennertus tamen, Riverius, & alii classici Autores magni-
cam faciunt, atque cum primis in Phthisi Bennettus, qui vari-
as suffituum & evaporationum formulas atq; idonea instrumenta
depicta exhibet.*

§. 23. Quoad hysteriam passionem; per placet Bartholini mei propositum, quo ad usum Istrumenti, quo fumus tabaci alias alvo clysteris loco injicitur. Eodem enim modo utero immitti possunt commodè suffitus idonei.

§. 24. Sed quo labor! Omnia hic prolata amicæ & do-
ctæ Tuae censuræ submitto, paratus mutare & delere, pro-
utratio & experientia dictaverint. Tu æqui bonique confu-
le, & favere perge

Francofurt. XVI.

Kalend. Febr. 1669.

Tuo addicissimo
Joh. Danieli Horstio.

IV.

Pars Epistolæ

Nobilis Clarissimi, Amplissimique

Dn. D. LAURENTII STRAUSSII, P.P.

Ad Socerum ejus Celebratissimum,

Dn. D. JOHANN. DANIELEM HORSTIUM,

de Chirurgia Infusoria.

In fu-

Infusioniam Chirurgiam quod attinet, temporis brevitas haud patitur, ut mentem meam fuisus explicem; interim tribus verbis, quid sentiam, declarabo. I. Quidem dubito, an posita conditiones eam non reddant difficillimam? Tam ex Chirurgi, quam agrotantis parte; quæ enim Chirurgi, quæso, agilitas tam accurata erit, ut quem jam mors occupare totum videtur agrotantem non conjiciat in majus periculum potius, quam ut reficiat? Esto tamen 2. dari posse hujus administrationem, non video, quid inde commodi moribundus sperare possit? quippe in quo motus sanguinis jam factus tardior & languidus, non nisi testudineo gradu infusionam balsamicam virtutem communicabit cordi, cujus flamma jam ferè extincta, & summa Spirituum inopiâ laborat, vix assurget ingenioso magis, quam proficuo auxilio. Quod si nunc quis examinare velit massam Sanguinis, prout viribus collapsis & resolutis sese habere potest, nihil, arbitror, absurdum dicet, si dixerit, frustra eos esse, qui tantam sanguinis perniciem & corruptelam balsamicō quodam liquore restitui posse autumant, cum sæpè calor naturalis (cui virtutem quis inveniet similem?) satis adhuc sibi constans non nisi maximō conatu & tempore longissimō labem illam valeat emendare &c. Ita sentio hac de remedii inventione, promptus, ubi erravero, me melius sentientium judicio submittere. Valete καὶ εὐχὴν.

V.

Epistola

Nobilissimi, Clarissimi, & Excellentissimi

Dn. D. JOHANNIS TACKII,
Architri & Professoris Hasso-Darmstadii Meritissimi,

ad Eundem

Dn. D^r. JOH. DANIELEM HORSTIUM,

de Eadem Chirurgia.

Vir Nobilissime & Excellentissime,

Dne Collega & Cognate honoratissime :

§. 1.

QUæ hujus sit seculi curiositas, & quanto pere laborent mortales novis indies inventis sese à mortalitatis jugo vendicare, id adeò in propatulo est, ut qui exemplis opus esse existimet, vel non vivere, vel somnum dormire Epimenidæ um censi debeat.

§. 2. Unicum, de quo sermonem instituendi occasio nem mihi præbuiisti, est egregium illud de Chirurgia Infusoria scriptū & inventum, quod Tuæ Censuræ à D. *Majore*, ejusdē Auctore, subjectum, mihique abs Te quam benevolent transmissum, ab *Anglis* tamen jam pridem quoque decantatum, primo sanè intuitu hæc mihi dolentis quidem excussit verba : Serio meditantur Medici contra mortem remedia, & ecce morimur indies ! Væ nobis, quod omnes peccavimus ! At non sine admiratione legentem dedituit, Tot contra mortem Molimina, & inter cætera, etiam præter inhalationem, de qua *Borellus*, & quam etiam matres in infantum deliquio, multoties etiam successu adhibent sive per os, sive etiam alias vias, ut ellychnium vitæ sinceriori flammâ destitutum, velut flabro aut Spiritu denuò accendant, Infusio nem ad novam fermentatio nem sanguinis, sudoremque denuò resuscitandum mundo offerri.

§. 3. In quo sanè scripto, uti Autoris ingenium, acumen & industriam laudo, ita doleo magni laboris discriminem, quod

quod vel prævidit, vel prædixit eam adhibituriſ instare, utinam non simul inſiti! Sed cum nec Ars inventorem perturbare posſit, ſolidis fundamentis & experientia innixum, nec meum in Excellentiſſimos Viros officiū ſiniſtri quicquam in eos admittere posſit; Et Tibi & Illi merito gratulor ſuper illo novo invento, Tibi quidem, quod ſententiam exoratus dicere prium, liberè eam dixeris: Illi, quod inventi gloriā poſt mortem mundo ſuperſtes futurus ſit.

§. 4. Ut verò quid mihi in ejusdem curioſa lectione ſuc-
currerit, Tibi ediferam, fateor, haud Mihi diſplicuisse ad ſan-
guinis ſopitam fermentationem excitandam, ingenioſas cogi-
tationes, imprimis, quod ſciam, vina quiescentia ad novam
fermentationem excitari poſſe, imò & degenerantia & tenacia
& Vifcoſa, velut ſulphure reſtitui. Non enim nescis, ſanguinem
eſſe viuum vitæ noſtræ, vinumque non rarò in ſacris San-
guinem Ulvæ appellari.

§. 5. Si itaque ad novam fermentationem viua reſuſci-
tari poſſunt, cur non & ſanguis, ille vitæ noſtræ theſauruſ, cu-
juſ Spirituſ homogeneam forte naturam habet cum Spiritu
viui, ut propterea illius reſtaurationem cum hac non inique
aut inepte moliti ſint antiquiores Medici, & Chymici, qui de
Cœlo Philosophorum res magni momenti poſteris relique-
runt.

§. 6. Cœterum ut ordine progređiar; dubito (I) an ſedores in petechiis ex viſcoſitate ſanguinis moram patian-
tur, & non potius ex defectu Spirituum humidię per æſtum
febrilem reſoluti.

§. 7. Deinde, an, ſi petechiæ retrocedunt, exinde quies
ſanguinis oriatur & viſcoſitas, & non potius nova conuulſio &
fermentatio quædam præternaturalis aut exitialis, Spiritus in

fugam convertens, mortemq; sudore ferali accelerans, instar cerevisiae aut vini, quorum fermentatio exterius cohibita, interiorius nihilominus tumultuatur, fundumque doleo excutit.

§. 8. Sunt Petechiae in majori & minori mundo, patiuntur eas Cœlum & Stellæ, animantia terrestria & aquatilia, lapides, Cochleæ, serpentes, lacertæ; & qui ruffo capillitiō prædicti sunt, illi lenticulas corpore toto circumgestant, quorum videlicet naturæ semper sunt agiles, minus somnolentæ, ad plurimas res péragendas solertissimæ, & calidioris temperie, id quod videre quoque licet in pantheris & tygeridibus, in trutis auratis & infinitis rebus aliis, ut hinc colligere quispiam possit, petechias sanguini de novo commixtas non constringere eundem, sed à quiete ad novam turbationem concitare, veluti si quis aspide morsus aut cane rabido, sensim per os vulneris venenum intra venas concipit, quo non quies, sed turba excitatur, donec Spiritibus omnibus infectis & in fugam versis nulla amplius resistentia, sed mors insequitur.

§. 9. Medicamentum itaq; quod infusioni inservire debet, ejus fore naturæ mihi persuadeo, quod scopo & urgenti necessitatì maximè inserviat. Si enim magna commotio, cur non tum sistens aliquis liquor adhiberetur, si venenum, cur non antidotus aliqua, si quies, cur non fermentalis liquor, si Spirituum defectus, cur non liquor aliquis, Spiritus restituens?

§. 10. Unicus itaq; liquor vix scopum adimplebit, nisi ex universalismaturæ fonte haustus sit, & quem hodierno seculo tot Reges & Magnates ex Veterum traditione tam avidè expetunt.

§. II. Videtur quidem Clariss. Autor ad mentem Hippocratis in liquoris inventione respicere ad ea, quæ velut Febriculam excitare apta sint, pro fermentatione nova accelerandâ, & aucto sic calore jam languidus quodammodo pulsus restau-retur.

retur. Verum enim verò, cùm febribus ex accidente alios interdum tollat morbos, ejusmodi liquor mihi repertu necessarius videtur, qui sine metu subsecuturæ novæ, calorisque peregrini, intentionem operantis adimpleat.

§. 12. In considerationem verò veniunt acida & vitriolata, de quibus Clariss. Autor judicat, inepta ea esse ad motum de nuò suscitandum. At acidorum naturam cum attigerim non nihil in Chrysogonia mea minerali & animali, viderimque Te ad id argumenti genus reposuisse nonnulla in Epistola ad autorem, nolo repetere dicta. Acida enim volatilia non constringendi, sed volatilisandi naturam habent.

§. 13. De vitriolo solum hoc dico, dubitare me, an unquam quisquam idoneè elaborarit verum Spiritum Vitrioli, & quam Philosophi Adepti requirunt. Qui enim in Pharmacopoliis prostat, nullius est meriti. Verus Spiritus Vitrioli & qui Medici Philosophique scopum attingere debet, ejus esto naturæ, ut vitro infusus, id totum velut auro interius obducatur, quod experientia & autopsiæ edoctus scribo. Alterius enim ille longè est naturæ, quam commune illud stigma venale, de quo vanissimè gloriantur Empirici & Chymici vulgares. Est in illo vis insignis resolvendi & penetrandi, ut nesciam, an non innumeris corporis humani vitiis emendandis aptus esse possit.

§. 14. Mercurius universalis hic quoque utramque paginam facere posset, qui aquæ siccæ nomine clarus, in communis superioris & inferioris mundi cœmiterio ad patranda totius mundi miracula circumvolvit, & occultus vita nostræ cibus Cosmopolita appellatur. Hic enim levidegestione debite captus, rubescit, magnarumque refectionum pater est, si virtus ejus conversa sit in terram, Hermetis testimonio.

§. 15. Sed

§. 15. Sed cum de hoc plurima reliquerit, præter Sendivogium, Faber Caspino idarensis in suo Panchymico & Alchymista Ebriano, eaque verissima, ad Sulphur me converto, de quo, ut innumera extant, ita illis prætermissis, saltem effabor, quæ experientia me docuit. Est in Sulphure, teste Helmontio, vis arcendi putredinem, quam in nonnullis subjectis ad oculum deprehendi. Si enim Stigma Sulphuris, quod per campanam paratur, quotidiè detur ad duas tresvè guttas in jute carnis aut cerevisiâ illis, qui ex venæsectione putrefacte sanguinem suum compertum habent, illi post exiguum temporis spaciū deprehendent, ex usu illius stigmatis omnem putredinem à sanguine recessisse, totumque liquorem vitalem primævæ puritati sinceritatique restitutum. Sed dubito, an liquor hic infusioni aptus esse possit, nisi refractus per admixtionem alterius non corrosivi liquoris.

§. 16. Supereft, ut in Tartaro monstrem, quantas ille possideat vires. Multa multi commenti sunt de Tartaro, Spiritu tuque Vini Tartarisato. Sed dubito, an assœuti sint veram Tartarei Spiritus præparationem? Notum est, Tartarum ebullitiones excitare, & Tartarum proprio suo Spiritu, maximo motu & agitatione excitatis, recludi. Vanæ itaque sunt distillationes Spiritus Tartari, ut & combinationes Tartari cum Spiritu Vini. Verus Tartari spiritus autem recludat necesse est metallum illud compactissimum, & alias indissolubile, unde quid ad novam fermentationem conferre possit, jam patet.

§. 17. Supereft, ut pauca differant de Vino; Viniutum post fermentationem clarum denuò fermentari posse certum est, tum, ut clarius evadat, tum ut in viribus melioretur. Unde sunt, qui immatura & noxia vina nova fermentatione ad matu-

rit-

ritatem eam deducunt & bonitatem, ut alia quamvis præstantissima vina superent. Fit illud beneficio alicujus sulphuris vegetabilis, (cujus notitiam & Paracellus mihi dedit, & Philippi Mulleri, qui Arcana Chymica edidit, manuscriptum aliquod, quo artem, sed obscurè paululum, vina emendandi prodidit,) & alicujus alterius, ita, ut tria in unum debitè mixta coeant, expediantque arcana.

§. 18. Sed non opus est plurima de re addere, quæ jam Glaubero aliisque comprobata est. Est quoque in Saccharo Sulphur quoddam, de quo in tractatu meo de consanguinitate Sacchari, Auri & Spiritus Vini egi, cuius virtute cognitâ nemo non approbat illam Solarem tincturam, laticem illum aureum jam toties comprobatum.

§. 19. Cygnus forte adimpleret omnes scopos, qui submersus in fonte Sapientiæ, post mortem resurgit se ipso candidior, abiturus in Phœnicem rubicundissimum. Sed quis omnia assequi poterit?

§. 20. Medicamen sane, sive liquor infundendus spiritui nostro sit consanguineus oportet, ut noster deficiens restituatur: quiescens suscitetur: debilis confortetur: infectus veneno aut peregrino fermento liberetur, quod interdum gutta una aut altera per os exhibita præstat, licet in intestina non diffundatur. Medicamenta enim ejusmodi spiritualia corporali attractu non semper aguant, sed vel sola irradiatione, virtute & lumine, de quo *Helmontius* consulatur. Memorabilis sanè est canon generalis: Stellarum vim, quæ cœlo Philosophico applicantur, cujuscunque sint complexionis, naturæ seu proprietatis, ipsum cœlum perfectissime ad se trahit, *Lulio*, *Arnoldo* & *Rupecissa* Autoribus. De quo consulatur Ulstadius in cœlo Philosophorum.

§. 21. De coloribus hic nonnulla *Tibi* transcriberem, quorum mentionem injecisti in epistola *Tua* ad Dn. *Autorem*, item de modo, quo purgationes fieri persuasum mihi habeo; sed cum rationem reddiderim aliquam iosei in sanguine coloris, in Chrysogonia mea, de cætero nimium mihi excrescat epistola, hic pedem fisco, ad commodiorem occasionem reservaturus lactis colorem & si quæ alia occurrent. Interea gratiae debentur Clarissimo Infusionis Chirurgicæ Autori, quod differendi nobis suppeditarit ansam, cui uti inventionis felicitatem; ita ejus felicissimam praxin cum oblatione officiorum meorum animitus gratulor. *Tu* verò jam salve & Fave. Dab. Darmstad. 1665. ipsa S. Matthiæ feriâ.

VI.

Clarissimo Domino

D. JOH. DANIELI MAJORI,
HENRICUS OLDENBURG,
Secretarius Regiæ Societatis Experimentalis, quæ
Londini est,
Salutem.

Litteræ Tuæ, Vir Clarissime, 13. Decembris ad me datae, 6. Januarii novissimè mihi traditæ fuerunt. Perspexi ex iis tuum in me, immerentis licet, affectum, nec non prolixam in Societatem Regiam, Eorumque Instituta, Voluntatem. In eâ apud Illustrissimum Cœtum istum deprædicandâ, simul & mente Tuâ in cæteris exponenda, Tibi non defui. Serenâ fronte accepere, quæ Tua pro Successibus Philosophicis vota Tibi suggesserunt; facile iis annuentes, quæ de Experimentis.

mentis ad *Chirurgiam Infusoriam* spectantibus desiderasti. Cum verò iis augendis etiamnum incumbat *Clariss. D. Clarkius*, hujus societatis unus, idemque suam de hoc Argumento Syllogen propediem sit editurus, Te brevem hanc moram agrè haut latum speramus. Quæ de Inventi hujus Infusorii Authore & tempore memoras, nos sollicitos neutquam habent. &c. Vale. Scribeb. Londini, d. XI. Martii, Anno 1665.

VII.

Celebratissimi Viri,

Anatomici Lugduno-Batavi incomparabilis,

Nobilissimi, Excellentissimi, Amplissimique,

Dni D. JOH. van HORNE, Prof. P.

Epistola, scripta Lugduni Batavorum,

d. IV. Aprilis, Ann. 1665.

S. P. D.

§. I.

Tandem, vir Excellentissime (tardius licet, quam vellem) rumpo silentii claustra: cum enim hoc verno tempore, & aqua & atramentum & manus, quæ prius rigebant, nunc sint resoluta, æquum sanè est, justissimæ Tuæ petitioni me satisfacere, litterisque Tuis gratissimis respondere. Imprimis igitur summas Tuæ Excell. gratias ago, quod tam honorificè de me sentias, meque immerentem tot laudibus cumules; profecto, nisi ingenuitas & humanitas Tua mihi essent satis superq; perspectæ, parum aberat, quin Tua verba me in ruborem de-dissent: accipio tamen ea, tanquam à benevolo amico profecta,

cta, ut in iis ceu speculo, cernam, non qualis sim, sed qualem
me esse deceat.

§. 2. Cum autem meum Judicium postulet Tua Clar.
super Prodromo Chirurgiæ infusoriæ à Te inventæ, da-
bo illud procul ab Omni adulacione aut contradicendi stu-
dio. Certè, cum primam ejus mentionem in privato Colle-
gio apud me fecisset doctissimus & Præstantissimus D. Schram-
mias, non potui non Inventum hoc novum ejusque Ingenio-
sissimum Autorem summis laudibus extollere. Qua propter
non destiti, dictum Dom: rogare, ut, si fieri posset, exemplar-
is mihi copia fieret, quod frustrâ apud Amstelædamenses Bi-
bliopolas inquisiveram. Sed haud longo post tempore idem
Dom. exemplar mihi porrigit, doctissimâ Tuâ Epistola
comitatum, qua me perhonorificè invitabât ad litterarium
commercium: quam sanè occasionem ut mihi sum gratula-
tus, ita haud duxi negligendam, ut de communibus studiis
cum Viro Clariss. & expertissimo subinde differerem, ad com-
mune Reipub. Medicæ incrementum.

§. 3. Cœpi itaque à capite ad calcem accuratè relegere
Prodromum, quem prima vice avidissimè devoraveram; in
ejusque lectione hæc notavi I. occasionem, quâ permota cœ-
pit Tua Clar. primo cogitare de hac Chirurgia: nempè, quia
animadvertebat, salutis sæpè naufragium pati ægròs, quoni-
am variolæ, petechiæ, aliaque exanthemata, quæ priùs se o-
stendebant in superficie corporis, evanescerent aut retrocede-
rent in venas. II. hujus rei causam à Clar. Tua rejici in sangu-
inis visciditatem, quoniam sanguis gelatinæ instar concrescat
in venis, cujus quidem concretionis cum variæ sint cau-
sæ, inter alias quoque à Te assignari meatuum obstructio-
nem, per quos medicamentum sudoriferum per os assumi-
ptum

ptum debeat venas ingredi; præsertim si iidem ab acidis exhibitis, præsertimq; à Mixtura Paracelsi, fuerint corrugati & constricti. III. Cum ægri sæpè nimis sint imbecilles, quām ut assūmere medicamenta convenientia possint per os; & præterea parum solatii adferant ea, quæ per Clysteres infunduntur, aut alioquin extrinsecus applicantur; cogitasse Tuam Clar. de adhibendis cucurbitulis, ut & frictionibus, imò tandem etiam de infundendo liquore aliquo aperitivo in ipsas venas per fistulas & syringas approprias.

§. 4. Ad quæ sic ordine R espondeo: Non mirū esse, si retrocedentibus Exanthematibus in pejus ruant egri; quia turbatur Natura cursus, & maligna materia sanguini iterum commiscetur. Sed non video, quenam indicia habeat Tua Clar: sanguinem tum fieri viscidum: quid enim, an non viscidus sit sapienter extra dictos casus, præsertim apud nos, ubi pescium esui admodum sunt dediti homines? fateor, cessante illa effervescentia, crassiorem fieri posse sanguinem, sed quid hoc ad visciditatem?

§. 5. Taceo jam, plurimos magni nominis Practicos in ea esse sententia, in peste, aliisque magnis morbis, tenuitate nimia peccare sanguinem, & propterea acidus indigere, cœu specifico remedio, quod est contra paragr. tuum XXII.

§. 6. Imò mirari subit, quod CL. Tua in paragrapho XXXVIII. concludat, agonizantes, qui irrequiescunt, non babere sanguinem concretum enomiser.

§. 7. Jam verò quod Clar. Tua causetur viarum obstructionem, per quas medicamentum in venas debeat penetrare, vellem indicare dignaretur proprius, quas vias intelligat: nam cum vivente homine totum corpus habeat Zipporæ quandam, si exhibeatur aperitivum medicamentum, quod sit tenuum partium, quo se quid obstat transcurvi.

§. 8. Nec tamen, licet transeat, semper scopum suum assequetur Medicus, quoniam sèpè mala per longas invaluere moras. Imò quicquid in solamen ægrorum adhibet Medicus etiam exercitissimus, frustranea sunt, Φύσις γδ ἀνηπατίσοντες κεντρά πάντα.

§. 9. Tandem, quod Tuæ Excell. in mentem venerit administratio Chirurgiæ Infusoriæ, laudo equidem inventum; sed nunc restat perpendendum, an ea in usum possit & debeat trahi? Quamvis concedam, imò propria experientia edoctus sciam, non adeò difficultem in brutis esse hanc Chirurgiam, in homine tamen res aliter se habet: nam in canibus nos pellem solemus separare, ut vena in conspectum prodeat, quam deinde subtus trajecto filo ligamus supra extremitatem siphonis; quod nescio an aut ægri admitterent, aut Medicus citra calumniam instituere posset:

§. 10. Deinde, in nobis vena subcutanea, licet turgide apparet, re ipsa tamen exiles sunt, ut patet in Anatome venarum manus; hanc enim partem præ cæteris sibi eligeret Tua Claritas.

§. 11. Imò, non esse tam facilem hanc Operationem, videtur ipsamet Tua Clar. indicare §. XXI. dum consultit, ut Medicus in omnem eventum sese muniat autoritate publica; quæ certè non requiritur, ubi nullum vitæ imminet ab Operatione periculum, ut in calculi extractione, mammæ cancro ob sessæ extirpatione &c.

§. 12. Quamvis igitur possit administrari à perito Chirурgo, adhibitis omnibus cautelis & requisitis conditionibus, valde prudenter expressis ab Amplit. Tua in dicto paragrapho, jam ultimè quærendum, an debeat in usum trahi? Et ignoscat mihi Clar. Tua, si negativam tamdiù amplecter, donec melius fuero informatus à Clar. Tua. Nam i. nullum habemus hactenus experimentum in homine, ut faretur Cl. Tua; cur ergò tri-
ta via non infissimus, sed semitas investigamus salebrosas?

§. 13. Di-

§. 13. Dicet Tua Clar. sic multas Chirurgias, quæ nunc
passim adhibentur, olim fuisse novas! sed consideret Tua Clar.
mores nostratium ægrorum: olim tutius licebat aliqua ex-
periri, propter ægrorum obædientiam; nunc vero, propter eos, quite-
mere de Arte nostrâ judicant, aliquando satius est abstinere.

§. 14. 2. Nec dum certò constat qualitas medicamenti injicien-
di, ut patet ex parag. XLVII. XLIX. L. quod sanè scrupulum haud
exiguum mihi facit. Quodenim canibus infusa medicamenta pur-
gantia, secessus moverint, aut vinum ebrios reddiderit eosdem,
non huc multum facit, quia hæc talia sunt, quæ in omnibus co-
dem modo operantur, sive iatus, sive extrinsecus adhibita. Co-
git me Chartæ angustia filum Orationis abrumpere. Quapro-
pter rogo Tuam CL. ut hæc pauca æqui bonique consulat.
DEUS eandem sospitet perrò quam diutissimè. Ego autem
ero

*Excellimi Nominis & Virtutum
T. cultor indefessus*

JOH: van HORNE, P. P.

VIII.

Magnifici, Nobilissimi, Excellentissimique Viri,
Dn. D. THOMÆ BARTHOLINI
Medici ac Professoris Regii Hafniensis à multis Annis
meritissimi, nunc Honorarii, Ordinisque sui Decani per-
petui, Anatomici per Orbem celebratissimi,

Epistola ad me.

Salutem

S. I. Negle-

Negelectæ responsionis culpam noli mihi imputare, quem tantis amicis semper vacare velle, rectè novisti; sed absentiaz diuturnaz. In Prædio enim meo, septimo ab urbe lapide remoto, hyemis inhumanitatem elusi, remotusque à curis urbanis otio indulsi, negotiosò tamen, ut commercia literaria cum amicis interea intermittere sim coactus. Jam verò ad urbem regressus necessariis de causis, commode memoriam recolo amicorum, quos hactenus ob candorem & eruditio- nem amavi. Inter quas cogitationes per Clarissimum Virum M. Herbinium litteræ Tuæ, pristini affectus indices denuò mihi offeruntur cum Prodromo Inventæ à Te Chirurgiæ Infusoriz, de qua judicium meum expetis.

§. 2. Quanquam verò is non sim, qui Doctorum Vi- rorum labores examinandos in me recipiam, quia unumquemque suo sensu abundare sino, animandaque censeo amico potius applausu meliorum ingeniorum inventa, quam morosa cen- sura rigidius quam verius excipienda; siquidem autem pro amicitia, quæ inter nos est, libertatem judicandi mihi concedis, dicam liberè quid sentiam.

§. 3. Laudem mereris & applausum, quod ingeniosa hac Chirurgia rem Medicam augeas, sed dubito, an ad ægros con- clamatos remedii utilitas spectare possit. *Multa enim sunt, que mente proficia conspicimus, quorum cœpitus vel fallit, si opus aggredi- emur, vel tentari in egris non potest.* In conclamatis multa sunt, quæ impedianc inventi Tui utilitates.

§. 4. Nolo dubia movere, quæ ipse eruditè in Prodromo solvis. *In desperatis certè Naturæ succumbit, qua pro felici o- pere Medicus indiget, unde tardius per venas labitur sanguis, ca- jore Spiritibusque destitutus, & tardius quoque vis infusorum per*

55

per festam Venam liquorū ad Cor oppressum penetrat, ut citius expiret æger, quam difficilis operationis successum experiamur.

§. 5. Non quod congelatus in venis sit sanguis, squaliter id rarissimè contingit, sed quia tardior est torpidi sanguinis motus, cuius ductum medicamenta in fusa sequi debent.

§. 6. Supponis quidem §. 21. inter conditiones ad ingeniosam tuam administrationem necessarias, ut pulsus adhuc utcunque constet, nec planè languidus sit: sed si sit sic pulsus, ergo tantum, pro agonizantibus deploratis haberi non debent. Hi agonizantes pejorisunt loco, quam Senes decrepiti, quibus param calidi inest, Hippocr. i. Aph. 14. nec ullum robur, Galen. l. de sangu. mis. c. 9, ideoque Venæ sectionis usu excluduntur,

§. 7. Fateor, disparem esse rationem, quia vulgaris Phlebotomia sanguinem evacuat, Tua Chirurgia Insularia sanguini aliquid addit: sed addere nihil potes, nisi una effluat sanguis, cuius vel minima jactura in conclamatis exitiofa, graviorem semper in paucitate jactuatur.

§. 8. Borsan igitur inventi Tui veritatem in aliis potius comprobabis, quam ubi spes omnis evanuit, ne egregium inventum prostituatur. Velenum in Sanis primo infusionem illam sunderem, vel in egris valentioribus. In Sanis quidem, quia nec dolor ex ligatura, apertione venæ, & immissione liquorū violenta metuendus, & sanguis motu suu vim injectorum ad cor facilius promovebit: In his succedere experimentum nupera Anglorum solertia testatur.

§. 9. Præter alatas à magno amico nostro D. Sachsis & Schottio diligenterissimo, experientias, aliud ex Boyleo illustri, de quo non dubitat Bernicium noster affirmare, si centum habemus Boyleos, totam naturam brevi videremus patefactam,

afferam. Observavit ille, post infusam in arteriam canis opii tincturam, illam mox in vertiginem, & post paulo in soporem incidisse, paulatimque ex eo tempore mirum in modum cœpisse pinguescere! In alterius molossi arteriam infusum, circum metallorum minuta quantitate nil invexisse damni; cum autem dosis ad Uncias duas adaugeretur, miserum simul evomuisse animam & omnia.

§. 10. Quod in arteria tam prosperè successit, in vena pariter succedit, si ea eligatur, quæ ad partem, cui mederi volumus, medicamentum deferre potest. Ex hoc principio Cleopatræ mors illustratur à Thoma Broune in Pseudodox. Epidem. qui contra antiquitatem docet, Cleopatram aspidem non cordi, sed brachio debuisse admovere, ut sanguis ab aspide infectus, citius cor quoque inficeret.

§. 11. At quia inanis foret observatio, nisi in ægrorum commodum verteretur, non dubito, salutare esse inventum tuum ægris nondum conclamat, præsertim si obstructe sint vena mafaracea, & lactea, ut cor, quod pabulum querit, infuso per Chirurgiam Tuam liquore convenienti, restauretur.

§. 12. Tuum tamen Inventum etiam in desperatis tueri potes authoritate Celsi, anceps potius auxilium, quam nullum suadentis. Debebuntque Tibi mortales mulca, qui ex protracta mortis hora à restatore fibi præclaros æbesauros promittunt, quorum ego Tibi partem pro egregio invento optaverim. Sed debebunt Tibi plura, quando probac medicina Tuæ notitia fide, per plures agros experimenta feceris.

§. 13. Duo tamen monenda sunt, antequam finiam. In conditionibus enim omissam video ligaturam arctam, hic neceffariam, ne ab arteriis succedens sanguis operationem turbet, ægrumque sive citius jugulet, & cista vinculum versus axillas fa-

ciendam esse sc̄tionem. Sed & hic video periculum, quia intercepto sanguine, cōr citius à motu desistet, nisi danūm istud per infusos liquores Tuos resarciveris.

§. 14. Deinde preclaro invento minus propriam appellatio-
nem tribuis. *Infusoria enim Chirurgia clysteres includit; & syringas*
qualescumque, quibus variis cavitatibus medicamina immittuntur.
Vellem, ut de alia voce cogitares. Sed si ita Tibi visum erit, pla-
cebit & mihi. Perinde enim est, quo nomine veniat, modo dē re
& rei utilitate conveniat.

§. 15. Neque inventionis gloriam Tibi invideo, quanquam Aliorū *Infusiones nobis innotuerint.* Pluribus quippe circa rem eandem occupatis similia eodem tempore in mentem venire possunt. Et quis de candore Germano dubitabit? Ea certè est Tua ingenuitas, ut nunquam pro Tuō fœtu venditares, nisi Te parentem scires. Tua conscientia Tibi orbique sufficiat, ut Tuō ingenio natum inventum, audacter suscipias, & imposterum pro virili ornes augeasque. Perge igitur, & Major invidiā majorem ex inventis scriptisque eruditis famam, quam magnam habes, Tibi vindica, ut Chirurgia Tua Infusoria tuas

Virtutes in eum

Per titulos memoresque fastos

Æternet.

Vale, Doctissime Major, & porrò meditatum argumentum more tuo, hoc est, eruditè perseguere.. Hafniæ, necessaria celeritate, XX. Maji Cl̄o loc LXV.

I X,

Nobilissimi, Amplissimi, & Celebratissimi Viri,
Dni D. JOH: JONSTONI,
Medici Germaniæ summi,

I 2

Epist̄o

§. 1.

TArde quidem Tuas accepi, Vir Excellentissime: gratissimæ tamen sunt. Merum spirant Amorem; nescio, an non affectum. Ea enim elogia accumulas, quibus par nunquam ero. Sed bene est. Talem me esse vis: & debebam, nisi jam effluxissent anni, Climacterico proximo. Talem & DEUS te volet, ut jam esse incipis. Chirurgiæ enim Infusoriaræ conatus sapit ingenium, eruditionem, & judicij acrimiam: dumque Sensus Externos exquiris, prudentiam ducas inq[ui]nare.

§. 2. Chirurgiæ Tuæ vix aliquid objici potest: omnibus enim dubiis per occupationem responsum. Multa inconcinna videntur, antequam admoveantur Praxi: hanc paucæ contemplationi blanduntur, que postea expectantem deſtitunt; observatumque hoc à me in machinis tractoriis ſapiuscule.

§. 3. In tuo Invento applicando exacta requiritur dexteritas, que non nisi jugi donis comparatur.

§. 4. Contentissima hoc seculo, quo multi contradicendi studio, etiam cum ærorum dispendio & meliorum famâ, nomen sibi concianare conantur, exacte Visciditas illa sanguinis à Mammate in malignis & Pestilentialibus inflictæ, explicanda eſſet.

§. 5. Diligenter inquirendum in Remedium, quod viscidiatem illam, sive glutinosam, sive resinosa, in parvâ dosi, fundere possit: & sufficienter demonstrandum, id omnino ita, si infundatur, futurum, comparatione etiam factâ cum illo, quod Venâ ſectâ effluxit.

§. 6. Sed

§. 6. Sed quid si novitas inventi, si casus unus vel alter in principiis incidet, traduceretur? Melius fortè esset, non tentare. Ast quid in principio sui perfici potest? Quis dubitabit, è casu illa, quæ apud Hippocratem occurunt, purgantia, cum tentarentur, multos consternasse?

§. 7. Hic nibil, nisi à sectione, periculi; quæ à perito Medico imperanda, à dextro Chirurgo peragenda, ut scribis, erit. Nec dubito, quin successu Temporis plura obventura, quibus Inventum firmare & expolire poteris.

§. 8. Plura in hanc rem non habeo: sed & hæc non nisi in Tuum sinum. Ut DEUS ingeniosis Tuis conatibus benignè benedicere dignetur, opto ex animo, ad officia paratus, quæcunque à me proficiisci possunt, quam mihi Magnus Sen-nertus, cum Anno seculi hujus XXVII. Wittebergæ essem, exhibuit. Vale ----- VI. Sept. 1665.

X.

Dissertatio Epistolica

Viri Nob. Excell^{mi}, Celeberrimique

Dn. D. C A S P A R I S M A R C H I I ,
Med. Pract. Prof. P. Serenissimi Cimbrorum Ducis Re-
gnantis Archiatri, Collegæ honorandi,

ad Me:

(titulus:) Salutem!

§. I.

P Etiisti abs me, Collegarum Intime ac Suavissime, ut id darem a-
mori nostro, & supra iis, quæ in publicatō non ita pridem

Prodromo Chirurgiæ Infusoriæ proposueris, judicium Tibi meum candidè & sincerè communicarem. Rectissime ab amore postulasti, Tibique omnino pollicitus es, quod à modestia haut facile Te impetraturum prævidisti: Amorem ergò cùm tantopere sis obtestatus, nolim ei obstare modestiam, quæ intempestiva videretur, si tanti Amici tām constanti desiderio assurgere pertinaciū detrectarem. Quare fiduciā amoris, quo exigui licet temporis spatiō, integerimē tamen (quod fieri inter ingenuos nō inconsuetum est) coaluimus, lubens suscipio hoc quantulumcunque gratissimi laboris, cuius fructum non exiguum, ubi responsō Tuo, quod à singulari ingenii Judiciique Tui sagacitate accuratissimum expectare licet, me fuis dignatus, in me & plures alios redundaturum facile mihi persuadeo.

§. 2. Esto itaque Primum, quod ex §. 1. & 2. enascitur dubium: *Utrum in morbis malignis, retrocedente ad interiora materia morbosā, ad cutim prius delata, visciditas subito inducatur sanguini, que causa existat inisperata subitanea & mortis?* Negare equidem non ausim, possibilem esse, succi Sanguinci, quem velut Extractum aliquod alimentorum salino-sulphureum intueor, substanteam, interventu sufficienti alicujus acidi, coagulationem, in substantiam cuidam Gelatinæ quodammodo similem; cùm expertum sit omnibus in Chymicā Medicamentorum præparatione mediocriter versatis, Extractum Sulfuris Sials (quæ appellatione communiter venit) acutissimo quodam lixivio factum, iaspersione aceti in analogum subito converti coagulum, ne dicam, Saccharum dulcissimum, si cum citri aut berberum succo coquatur, visciditatem mox contrahere insignem haud facile deinceps dissolubilem; Nondum tamen hactenus sat liquidum est, in morbis istis malignis translatam ad cutim

mate-

Materiam Morbosam semper esse in tantum acidam, ut coagulando ut tali ipsi succo sanguineo parere posse.

§. 3. Negue enim à posteriori etiam id ipsum sufficienter demonstrari posse videtur, si vel maximè in extinctis hac ratione humanis corporibus coagulatum eò modò sanguinem deprehendere liceret (quod tamen semper & in omnibus ita se habere nondum puto probatum) verosimile enim maximè est, absuntam febribus astu humiditatem & profligatos antegressà effervescentia, ac lucta Naturæ cum morbo, vitales Spiritus, consequi potius in emortuo corpore istam sanguinis concretionem, quam, ut causam mortis, antecedere: cum observare subinde licet, quod & ipsa hac die experti sumus, prosilientem ex sesta venâ eum impetu sanguinem (si periculosus aliquis morbus vitam oppugnet) qui dum vitali adhuc calore imbutus est, sat floridus apparet, evanescentibus Spiritibus mox concrescere in tenacissimum maximam partem coagulum.

§. 4. Crediderim ergò citra veritatis (si quæ alia subest) & sententiæ Tuæ, Collega Optime, præjudicium, subitanæ & insperatae mortis causam in allegatis casibus existere Balsami innati cordis per retrocedens miasma malignum lethiferam alterationem & Spirituum Vitalium in lucta illa extremâ Nature imperatâ [quam feralis frigidusque plerumque sudor arguit] profusionem & dissipationem, unde pulsus Cordis sensim deficere, factaque tardiori sanguinis in Arterias propulsione, motum ejus segniùs procedere, ac tandem prorsus suspendi necessum est.

§. 5. Alterum, quod §. 3. suppeditat, Dubium est: Utrum, constituto in Agone Homine, ubi Torpidi Sanguinis Signa cumulantur, morsque adeò in Limine stat, ultimus curandi apex in motione Sudoris consistat? quam probatissimis cæteroquin remediis To- fru-

frustra tentasse conquereris. Egregia equidem agnoscō omnia, quā §. 4. 5. 6. doctē ac nervosē de intercepti Sudoris Causā diffēris: unum tamen deesse reor, nempe, Serosi illius expellendorum Miasmatum malignorum vehiculi defectum, aut certē penuriam, quam antecedens Sanguinis effervescentia, & sudores, vel sponte, vel Arte eliciti induxit videntur; isthoc Latice in casu hujusmodi Agonis deficiente non mirum arbitror, frustranea esse quæcunque promovendi ulteriū Sudoris conamina. Unde nec persuadebor facilē, salvis probabiliōribus aliorum opinionibus, in istā Morbi & Vitæ extremitate, Asylum ultimum aut potissimum esse Sudoris promotionem, quin potiū, si quod concederetur, Mortis in isto casu Remedium, id unicū agnoscerem, quod vita adversam miasmatis malignitatem alterare & immutare, atque innatum Cordis balsamum, quo spiritificari ac vivificare illud solet, atque unicē potest sanguinis quasdam particulas, roborare ac conservare valeret.

§. 6. At tale quoddam, præter Universalem fortē Medicinam, vel Auri ad minimum quandam velut Effentiam, cum isthoc Solis Microcosmici Natura symbolizantem, frustra propemodum quærimus. In Antidotis certē & Theriacalibus quibuscumque id minimē suppetit, quin Opiatos Aqua Iheriacalis Spiritus adversos potiū in hoc casu reor, cùm figere isti, & ad quietem magis disponere apti sint torpentes jam ante Spiritus Vitales: quod uti in primā Sanguinis effervescentiā, certā ratione, consultissimum largior; ita circa Agones hujusmodi extremos quam maximē noxiū & intempestivū existimo.

§. 7. *Preservativum* proinde Lethalis hujusmodi periculi, meo quidem exiguo judicio, aestimarem, modestē humectantibus remediis (malignitati tamen simul oppositis) tūm diaeticis, tūm Therapeuticis, præcavere, ne usque ad Morbi finem

nem deficiat necessaria ad fluorem & diaphoresin Sanguinis humiditas, totoque Curationis Tempore temperatis Cordialibus vitalem in hoc viscere Balsamum tueri ac refocillare.

§. 8. Unde *Errorum agnosco Medicum* in Morbis malignis, in continuâ Aeris ambientis, Hypocaustorum præsertim, calefactione, & multiplici Sudoris provocatione remedium quærere, cùm Experienciam edoceamur, grassante malo tali Epidemico, decies plures Ditiorum, istâ diligentia tractatos, interire, quâm qui ex plebejo ordine, vel mediis & inservientium cumulo destituti, præter Antidotale unum vel alterum adhibitum, solo Cerevisiæ tenuioris & calidæ potu, sicut pro lubitu extinguunt, eaque ratione vehiculum illud Serofum expellendorum à Naturâ, sui sedulâ Medicatrice, Miasmatum, vel nescientes conservant, atque unâ cum Spiritibus sic satis instaurant, utut Aer sæpè frigidiusculus eos circumstet, modò levioribus stragulis liberiorem ejus ad Cutis poros accessum avertant.

§. 9. *Tertium, quod ipsum novum hoc Infusionis Remedium proprius respicit, Dubium meum, & fortè plurimorum aliorum, hoc est: utrum recte rationi [quod putas] satis congruum sit, effectum salutarem hujus Remedium Infusoriū sperare in Cäsu ejusmodi, qualem binc inde presupponis, nempe, Agonizantibus jam tum Aegris, Morti proximis, adeoque quid secum agatur, amplius vix animadvententibus, postquam auxilia quævis Canonica incassum sunt adhibita, & quidem abundante Sanguine concreto enormiter, ac vapescente, quales omnino non Methodistæ solùm rigidiores, sed tota Medicorum Schola Deploratis non immerito annumerarent.*

§. 10. Vereor sanè, *Collega Amicissime*, ut aliquot hac in parte contentientes Tibi ex Aesculapii Filiis facile invenias.

Etenim (I.) ubi quævis probatissima auxilia, dextrè licet, in-
casum tamen sunt adhibita, in Morbis malignis, juxta rectam
Rationem certè concludi aliter non potest, quām, vel *Missa*
malignum potentia suā exsuperare Natura vires, & corruptionem
induxisse, cognitis hactenus communi Scholæ Medicæ remedi-
is (universalem enim Philosophorum & Adeptorum Medic-
inam hic cogor excipere) *incorrigibitem*, vel vita Archæum bal-
samicum in tali ægro (sine cuius adjutorio in actum deducente
quodvis Medicamentum, frustraneum omne Medici cona-
men esse Ratio dictat) deficere, aut causæ Morbificæ nimis
imparem esse.

§. II. (II.) Quod si in specie enormis vel insignior San-
guinis congelatio Agonis & desperati hujusmodi Statūs causa
existat, vix rationi consonum reor, vel intromitti feliciter
posse, vel intrusum etiam quovis modo *in Venam brachii* (de
Lingue enim, *vel frontis*, *vel palati*, aut *gingivarum* venis frustrà,
& præter intentionem Tuam, quæstionem Tibi quisquam
moverit) liquorem, utut summè balsamicum, deferri posse
ad Cor, primariam illam Vitæ Officinam, per quam solam ille
Vitæ humanæ prorsus analogus redi, & virtus ejus per Arteri-
as postmodùm in Universum distribui deberet.

§. 12. Ut taceam (III.) Infusi liquoris, licet subtilissi-
mi, drachmas duas, proportionem non habitus ad dissolvendum
sanguinis maximâ ex parte, juxta conceptum tuum, jam co-
agulati massam.

§. 13. Neque etiam (IV.) probabile mihi quidem vide-
tur, ut id novâ quadam & singulari sanguinis Fermentatione expe-
diatur, cum ad eam tūm *Spirituum in materiâ fermentandâ pre-
sentiam* (qui in hoc casu *sanguinis* propemodùm emortui defi-
ciunt)

ciunt) tūm sufficientem ejus Humiditatem ac Fluorem requiri, præter spacium sufficiens, haud dubiè mecum agnoscas.

§. 14. Quodsi verò, *Amice suavissime*, non omnimodam vitæ conservationem & Valetudinis restitutionem, sed *Mortis solum ad aliquod Tempus Remoram* isthuc remedio Tuo intendis (quorsum ferè illud §. 9. aliquandis interpretor) haud equidem difficulter adstipulor, cum probabile omnino videatur, injectum Venæ Liquorem Spirituosum, Naturæ nostræ singulariter amicum, multò citius feliciusque hác ratione Cordi communicari, istudque actutum velut irradiare posse, quām si per Os exhiberetur, cum vel ob ariditatem faucium, vel incrufationem earundem, & ipsius Oesophagi in tali casu, descensurus infractis viribus vix ad Ventriculum videatur.

§. 15. Agnosces ex his, *Collega honoratissime*, quantus ego sim ingeniosissimi hujus *Inventi Æstimator*, in Casibus quamplurimis aliis, ubi existente adhuc libero sanguinis Fluore, viribus quamminimè alteratis medicina quadam Corpori subministranda foret, e. g. in phthisi, Syncope, Febribus quibusdam, apoplexiâ, Hystericis Affectibus, fortè etiam in ipsâ latente, & communiter incurabili partium internarum lentâ gangrænâ, cui idoneum sufficiensque remedium sàpè cum suspiriis desiderant Medicis salutis humanæ curiosissimi.

§. 16. Quartò ex §. 30. intelligo, *Vena sectionem abs Te improbari in Affectibus malignis*, ubi vel jam eruperint Bubones & Exanthemata, aut proximè eruptura sint; admitti tamen, immò urgeri in statu deplorato, ubi fervor sanguinis utplurimum defebuit, & Sanguis ipse in gelatina aut glutinis speciem (opinione imprimis Tuâ) concreverit. Quâ in parte, pace Tuâ, me dissentientem Tibi profiteri cogor. Etsi enim, ubi Natura debitè sufficienterque expellit, turbari Actionem illius, Venæse-

ctione, neutiquam probem, si tamen tardius segnius nè id à Naturâ fiat, experientiâ edoctus sum, cum fructu evidenti eam instui, feliciusque tum sæpe procedere eruptionem Exanthematum & Pustularum. Nec Ratio repugnat, siquidem Naturâ aliquo Plethoraæ onere levatâ, & spacio vasis liberiori hâc ratione inducto, rectius procedere fermentationem, principiis Artis nostræ, & Fermentationis utilissimæ Doctrinæ, omnino congruum est. In Casu contrâ Deplorato, ubi sanguis jam congelari et emori incipit, frustrâ tentatum iri Venæsektionem, mihi quidem persuadeo, cùm in Morbo Hungarico, aliave Inflammatione partium superiorum, nisi maturè id fiat, frustrâ postmodùm secari Venas sublinguales, & vix guttulam inde sanguinis elici, sed mortem jam in limine stare experiamur.

§. 17. Quintum & ultimum Dubium, circa *Liquoris Injiciendi speciem* occupabitur: quodsi enim, superatis omnibus, quæ hactenus adversus Inventionem Tuam, certè laude dignam, Collega *Exortatissime*, mota sunt Dubia, firma stat sententia, spem Curationis in casibus hujusmodi deploratis superesse, adhibito Infusionis Remedio, non immerito solliciti sumus de *Liquore penetrantissimo* et ad refocillandas atque excitandas torpentes *Spiritus Vitalis* reliquias apissimo. Opiata hic rectissimè omnino repudiare videris. Talia enim etsi non sine ratione Antidotis quamplurimis admixta, & magni in certis casibus usus esse Experientia satis confirmet, planè tamen persualus sum, ea non conducere, nisi cum turgentes in Corpore Spiritus Miasmate maligno adeò in furorem agitantur, ut, ne plus justo intendatur sanguinis Fermentatio, eos tranquillare, & ad quietem disponere summa requirat Necesitas, id quod in principio potissimum morbi, &, priusquam Crisis legitima ac salubris exspectari potest, evenire solet. In casu verò agonis lethalis,

thalis, quando obruti aut suffocati quasi sunt pauci, qui restant Spiritus, absonum certè foret, talia usurpare.

§. 18. Nec verò *salina* etiam, quâ talia, simpliciter hic profutura equidem facile crediderim, cum Fermentatio, quam cæteroquin adjuvare egregiè possunt, speranda non sit, nisi Ignei simul Spiritus instarentur.

§. 19. Quapropter *sulphurea Spirituosa Balsamica*, & cum Spiritu Vitæ nostro Symbolizantia, unicè probanda videntur. Inter illa verò etsi eminere omnino credam *Verum* aliquod *Aurum potabile*, & huic quodammodo analogam illam præcelebris, & in *Hermeticæ Philosophiæ*, uti colligo, exercitatissimi Dni TACKII, *Tincturam lumen balsamicam*, ex *Auro* & *Saccharum* *Spiritu Vini* paratam; summis tamen ejusmodi Medicinis deficientibus, meo quidem exili judicio, contenti esse cogremur *Spiritu Vini subtilissimo*, merè *sulfureo*, & à congeneris sibi *satis acidine mordaci* quamoptimum liberato (qualem semel adhuc dum & fortuitò, ac præter intentionem meam obtinui, Hermeticis insudans Laboribus) cui in momento intimè unire liceret *Olei* alicujus summè *Cordialis*, vel *Rosarum*, vel *Cinnamomi* pauculas guttulas, & *Camphora* tantillum, quâ ratione existimarem illum evasurum *Medicamen penetrantissimum*, & refocillandis, instaurandis, atque excitandis Spiritùs Vitæ reliquiis insigniter idoneum, cui, si *citra precipitatem additorum Oleorum* & *Camphoræ* id fieri posset (quod nondum probavi) Spiritùs salis Armon: rectificatissimi tantillum adjiceretur, non utique id inconsultum erediderim.

§. 20. *Aquam* tamen ullam, ut ut appropriata quædam videri posset, admirisci nolle; cùm penetrandi vis Medicamento vel adimeretur, vel obtunderetur, quam in hoc casu nemo non agnoscit imprimis necessariam.

§. 21. En habes, Amice *integerrime*, quæ ad instantiam
Tuam, contradicendi minimè, sed Artem nostram illustrandi
atque excolendi magis studio flagrans, super hoc elegantissimo
Themate tecum commmunicare lubens meritòque volui ac
debui. Tu, pro Candore & Amore Tuo, dexterimè omnia
interpretaberis, &, velut cœpisti, amare perges

Dab. in Muséo meo KilonI,
4. Decembr. 1665.

Tuum

C A S P: M A R C H I V M,
Med. D, & Prof. P.

XI.

Epistola

Viri Nobiliss: Excelissimi, Experientissimique,

Dni D. JOH: THEODORI
SCHENCKII,

Medic. Prof. P. in Illustri Jenensi Academiâ, longè
Clarissimi,

Celeberrime Vir,

Dne ac Fautor plurimum honorande:

§. 1.

IN superioribus ad Facultatem Medicam prescriptis, mi-
trum quantum humanitas Tua Eruditione amplissimè stipata
effulgebat. Pudore suffundebar, cum legerentur, cumpri-
mis, ubi annumerabar cœtui eorum, quorum Auctoritate Te
delectari scriperas. Sed quid canis ego ad Nilum? Usque ad-
eo

deò enim placere eruditissima Inventi Tui Commata Doctis,
ab illisque laudari comperio, ut ineptus essem, alium, præ-
ter album, adjicere lapidem.

§. 2. Pergas modò Curiosam ἐγχείρην hanc, *Observati-*
onum, in Humano Corpore institutarum, Φανουένωνque aliorum
monumentis illustrare; in hoc enim argumenti vis tota sita
mihi esse videtur. Nemo enim insolitam licet, ex ægrotis
fastinere reformidabit, dummodò cognoverit, sèpiùs effe-
ctum Intentioni respondisse.

§. 3. Tentasse ex Amicis quosdam, præteritâ Æstate
Leidae Batavorum, *Dieteticam Tuam*, ex literis illorum non ita
pridem intellexi: addiderant tamen, in brutis institutam in-
feliciter successisse, Alteratoriam verò & Catharticam nun-
quam fecellisse.

§. 4. Nobilissimo Sachsio, Medico elegantissimo, Ami-
co utrique nostrum candidissimo per literas obtuli operani &
promititudinem omnem, si modò ad pàlatum aderit, quod præ-
stare sibi me posse existimet. Tibi, Celeberrime Vir, since-
ram spondeo Amicitiam, testorque, me scriptorum Tuorum
Lectionem mirificè recreari, quorum ut & imposterum admirা-
torem me efficias, inde sinenter peto. Is vicissim ero, qui,
cum sensero, minùs fastidire Te commercia mea, nunquam
patiar, ut Animo, cultu, Literisque, separemur: sed moriar
in Amplexibus Tuis.

§. 5. Unicum supereft, ut, &c. - - - - Cursim Je-
næ, III. Calend. Januar. Ann. MDC. LXVI.

Celeberrimo Nominis Tuo ad-
dictus, dum ero

JOH. THEODORVS SCHENCK,
Med. D. Prof. P.

XII. Ex

Ex literis Viri

Nobiliss, Preclariss: Experientissimique,

Dni HENRICI VOLGNADII,
Medicinæ Doctoris & Practici in Rep. patriâ Vratisla-
viensi,
ob peritiam felicissimi,
Amici ab ineunte ætate
probati & summopere colendi ,
scriptis d. 8. Januar. Vratislavia, Ao. 1666.

Rumpantur tandem silentii tam diurni repagula, qui-
bus hactenus vinciri nos passi sumus, nec altercemur de-
causâ illius; uterque enim suam, & justam fortè, allegare po-
terit. Nimirum est, nos siluisse hactenus, protrahere silenti-
um, inexcusabile esset, &c. Cæterum nonnulla
Tecum, Amicissime Dne D, lubenter communicarem, ansam
suppeditante elegantissimo ac Curiosissimo Tuo Prodromo;
sed ea differre animus est, donec certior fuero factus, quâm re-
cte hæ literæ Tibi insinuatæ fuerint. Unius saltim autem non
possum non mentionem obiter facere, quod inter præsidia se-
lectiora, quibus sanguinem congelatum resolvi posse autumas,
ingeniosè, refers *Spiritum ex sale Ammon:* volatilem, & Vini
Tartarisato *compositum*, à Dno D. Rofficio, in suâ Chimiâ, in Ar-
tis Formam redactâ, *descriptum*. Sed noli Candori meo suc-
cense.

censere. Processus iste, salvâ tanti Viri Autoritate, videtur mihi quodammodo suspectus. Experto crede, spiritum Vini Tartarisatum non posse Salem Volatilem Armoniaci ex repagulis suis liberare. Scio utique, quod sal Tartari id felicissimè efficit: scio, spiritum Vini Tartarisatum imprægnatum esse Sale volatili Tartari; hic tamen Sal non solus ac merus in Spiritu Vini hæret, sed cum Sale Vini, etiam volatili, se conjunxit, & jam aliam Naturam acquisivit, h. e. non amplius verè Alcalis seu Lixivialis est ac simplex, sed compositus. Et licet Spiritus Vini Tartarisatus (icil. qui non per alembicum à Sale Tartari abstractus est, sed qui saltim Sali Tartari superfusus, ab eodem per decantationem nudam separatus est) Sal volatile Armoniaci proliceret, ac in destillatione secum sublevaret: non tamen per minima junctus Spiritui Vini maneret, nec in formâ Liquoris destillaret; aut si destillaret, accedente Spiritu Vini, iterum in fundo recipientis certo certius quasi præcipitatus se coagularet. Adde quod evidentissimè sal hic volatile seorsim & prius, quam spiritus Vini alta petit, utut spiritus Vini summe volatile sit, & lenissimo calore aliás provocetur, hic tamen neutiquam in capitellum sublevatur, nisi sal volatile maximam partem, & ut plurimum in formâ siccâ, præcesserit. Non profectò, quod serio obtestor, non invehor in Personam; saltim rei veritatem demonstro, &c. &c. - - - - Abrumpo hanc telam: Tu boni, ut soles, admonitiunculam consule, bene Vale, ac fave Amico

T. T. dum vivit, erit,

Henrico Volgnadio, D.

'g2
XIII.

Nobiliss: Clariss: Amplissimique

Dni D. GEORGII SEGERI,
S. Pol. Reg. Maj. Medici, Physici, in Rep. Thoru-
niensi, Ordinarii, & Gymnasii ibidem Prof.
P. honorarii,

EPISTOLA, postremum missa.

S. P. D.

§. I.

Quas præter omnem spem atque meritum hisce diebus
qâ Te, Vir Clarissime, obtinui literas, eo quo decet,
cultu & reseravi & relegi. Insigni verò me affecere læ-
titiâ, cum singula verba Tuum affectum sufficienter mihi
comprobarint. Id solum optassem, ut contentus Viro-
rum celeberrimorum de Ingeniosissimo tuo Invento judiciis,
meam sententiam minimè desiderasses. Ita enim ab ejusmo-
di scribendi genere sum alienus, ut quidvis potius suscipere
malim, quam de aliorum institutis meam sententiam proferre.
Unde cum nuper alii quoque Amici, & ex istis imprimis CL.
Viri, Sachsius & Grammius, de Tuo Invento meum desiderarint
judicium, cautè illud declinavi, non tamen sine omni elogio.
Laudavi enim ingeniosos Tuos conatus, quos boni publici
causâ suscepisti, solumque Experimentum in Homine si non omni-
nō impossibile, operosum tamen, imò ut plurimum infructu-
osum judicavi. Nec est, quod miremur, cum hoc Artifici-
bus s̄epissimè contingat, ut illa, quæ ingeniosè excogitarunt, pa-
ri facilitate ac felicitate præstare minime possint. Exemplo sunt
Anatomici Anglicani, qui dum nuper decantatam olim Lienis
exse-

exectionem felicissimo atq; facillimo cum successu in Canibus exercuerunt, in Homine eandem præstare nondum sunt ausi.

§. 2. Ne tamen ea, quæ supra scripsi, sine fundamento scripsisse videar, enarrabo breviter, & quidem ita Te ^{tribu}bente, rationes meas. Loquor autem hic solum de Tuâ Chirurgiâ Infusoriâ, quatenus vimirum eam applicas Agonizantibus & deploratis; quibus tamen si non omnino nullum, exiguum tamen afferre usum, sequentia tria media mihi persuadent. Primo, *quia minimè opportuno tempore suscipitur*. Nam eo demum tempore, quo omnia sunt conclamata, quo Morbo acuto triumphanti victas manus jam dedit Natura, & Homo, in Agone jam constitutus, non nisi à solo, eoque tremulo, cordis debellati motu, ad angustam respirationem adigitur, eo, inquam, tempore jubetur adhiberi hoc remedium. Quid verò Naturæ minister Naturâ prostratâ boni præstare potest?

§. 3. Neque tamen etiam citius admittendum. Quia enim antè Agonem *remediis per os adhibitis & refocillatio*, & sudoris expulsio *aque citò* præstatur, Chirurgiæ Infusoriæ necessitatem non video. Notanter dico, *aque citò*. Nam & infusus humor suam operationem non statim exserit, quemadmodum ē CL. Elsbolzii experimentis in Canibus factis videre licet, quippe in quibus ad minimum demum post horæ quadrantem vires Infusi liquoris sese exseruere. Quod si idem Cl. Elsbolzius etiam successum Experimentorum in hominibus factorum nobis non invidisset, & iis modò dicta comprobasssemus. Patet quoque exinde, quod & humor *infusus* antè operationem, aliquam subeat mutationem, quam sine Naturæ ope in Agonizantibus non concedimus.

§. 4. Secundum Dubium ipsa mihi *Infusionis Administratio* suppeditat. Requiris paragr. 40. dextrum, promptum, peri-

tum, ac alacrem Chirurgum. Sed, quod si Mors fit promptior & alacrior? Scis, quām præter spem sæpiissimè abripiantur, quos Morbi acuti invaserunt. Et licet peritus Medicus in nonnullis eventum morbi prævideat, prohibetur tamen per legem Artis ambiguū tentare Remedium, quāmdiu alia æquè valentia remedia Äger per os assumere potest. Imò, dum rem exactius perpendo, & imprimis ex requisitis, quæ paragr. 21. tradis, illa, quæ ad Chirurgum spectant, examino, omnino dicere cogor, quod Morbus acutus sæpe sæpiissimè majori celeritate opprimat agonizantem, quām peritissimus & promtissimus Chirurgus suam absolvere possit operationem. Ita quidem, ut priusquam Chirurgus artus fricet, & post frictionem foveat, ligaturam duplicem Venæ aperiendæ successivè injiciat, instrumentum Infusorium apertæ Venæ immittat, liquorem moderatè impellat, ejusque transitum ad Cor successivâ brachii compressione adjuvet, & tandem oppositis partibus ventosas applicet; priusquam, dico, hæc Chirurgus præstet, äger ab soluto Agone vanos fuisse Chirurgi conatus, adstantibus ostendat. Supervacaneum existimo, exemplis probare, quām citò Morbi acutissimum absolvant Cursus. Neque etiam repetam ctitissimæ Mortis exempla innumera, quæ olim Hafniæ, cùm Anno 1654. truculentissima Pestis multos millenos suripereret, observavi. Sufficiant Rossalia seu Rubsole, quæ cum ante triennium nostris, vicinisque nostris fuerint Epidemiarum, eos, quibus exitiales fuere, sæpiissime præter adstantium spem quantocyùs sustulere.

§. 5. Tertium denique Dubium mihi movet infundendi Liquoris Dosis incognita. Licet enim ex effectu, quem præstare debet, facile colligere quis possit, illius debere esse Naturæ hunc liquorem, cuius sunt Medicamenta illa, quæ in hisce morbis per os pro-

os propinuantur: quia tamen ista interdum post exhibitam pri-
mam vel secundam dosin virulentiam Morbi non statim, aut
etiam minus sufficienter expellunt, ita, ut circumspectus Me-
dicus ulteriori Alexiteriorum exhibitione Naturæ satis adhuc
vegetæ succurrere cogatur, nonne idem in Agonizante requi-
retur? Unde liquor iste aut in satis magnâ, & tali quidem, quæ
miasma lethale longè supereret, quantitate infundendus, aut di-
fus per diversas Venas, eodem tempore impellendus, nisi semper
inanem operam locare velit Medicus.

§. 6. Et hæc sunt, quæ Te ita volente & jubente consi-
gnare debui, quæque mox eo ipso tempore, quo senex noster
gravissimus, *Dnus D. Meisnerus*, (qui Te humanissimè salutat)
Prodromum Tuum mihi mutuò dedit, (neque enim hunc ad
hoc usque Tempus ob Bibliopolarum incuriam & defectum
possideo) tacitè Invento Tuo objeci. Placet hic addere, quæ
tum mihi retulit præfatus Excell: *Meisnerus*, legisse le olim,
cùm Lipsiæ studiis Medicis incumberet, in *Autore quodam*, cu-
jus nomen jam ei non occurrit, similem ferè Curam in despe-
ratâ Phthisi. Ubi dictus Autor suadet, ut eligatur homo sanus,
rufis capillis præditus, cui, ut & Ægro, pertundatur brachii
Vena, moxque Canalculus, in usum istum jam paratus, altero
extremo immittatur Venæ hominis sani, altero verò Ægri,
portioque sani sanguinis Ægro communicetur, quæ istius san-
guinem emendet, & à labe contractâ liberet. Sed satis de ipsis
hac vice. Regredior ad literarum tuarum principium. &c.
&c. Vale. Scribeb. Thorunii d. 21. Januar. Anni 1667.

XIV.

Coronidis loco accessit

Clarissimi Viri Juperis

Dni CHRISTIANI FRIDERICI
GARMANNI,
Medicinæ addicti,
Epistola Eruditissima

de Eadem Infusoriâ Chirurgiâ.

*Vir Nobilissime, Excellentissime, Experientissime, Fautor
etatem colende.*

§. 1.

NEmireris, quod ignotus, eque obscuro prodienstuguriolo Humanitatis Tuæ fores pulsito, meque coram Excell. T. fisto. Celebris Humanitas Tua, & edecumata Doctrina, quibus doctorum orbi pridem innotueristi, nescio quo magnetismo calamum traxere meum, ut hunc, perpetuæ alioquin damnatum quieti, arripuerim, hocque, inculto quamvis & agresti, (voce dum non possum) Te alloqui decreverim. Et fecissem quidem illud post curiosæ & comtæ Tuæ de Cancris & Serpentibus petrefactis Dissertationis Epistolice editionem, nisi Fama de abitu Tuo Wittebergæ Hamburgum versus certioreme reddidisset. Quo percepto nuncio immensum dolui, quod sic commercii literarum non tantum inhiberetur ferra, sed & cogitata de fibris corporum naturalium mixtorum (ea enim tunc tacito versabam animo) quæ Te, imprimis in doctrina Lapidum, aureum expectabant Phosphorum, hoc modo oppidò sufflamen-
narentur,

§. 2. In-

§. 2. Inter hos tamen mentis dolores non potui insimul intermittere, Tibi, Vir Excell. tacito cordis tripudio gratulari, quod potentissimus ille rerum Arbiter T. Excell. tribuerit tam nobile & splendidum Theatrum, in quo insignis Tua eruditio toti conspicua fisteretur orbi, & in omnes mundi dimanaret angulos. Placuit tunc Phœbi de Te augurium, quod Aesculapii Columnis insculptum se legisse mihi persuadebat Clio hunc in modum :

MAGNUS erat MAJOR, MAJOR fuit Albus ad undas,
MAXIMUS Hamburi, crede, Machaon erit.

§. 3. Nec destituit eventus hoc optimi vatis augurium. Non jam afferam egregiam illam, quam ægris curandis insumerem soles, operam, non quem aliis curiosis Physico-Medicis, imprimis Lithologiæ Tuæ, impendes laborem; Chirurgiæ infusoriæ Tuæ Prodromum, nuper luci publicæ donatum, tantum allegabo. Dicere vix possum, quanto desiderio ab eo tempore hunc expectarim, quo ipsius titulum Catalogo Librorum insertum vidi, quantis gaudiis illum exceperim, vix exprimere. Ut legi, obstupui, felicitatem Medicinæ hoc nostro seculo miratus, quippe quæ tot ferè nobilissimis superbit inventis, quot seculum annis. Quæ ante Hipocratis tempora in cunis vagiit infans, venerabilis Matrona jam conspicitur, & à tót nobilissimis ambitur Procis. Quæs & Tu Vir Nobiliss. accensendus cum nobili illo invento, Chirurgia Tua infusoria. Hac enim doces, quomodo deplorati & ad orcum spectantes vitæ sint redonandi, & orci faucibus eripiendi. Basis hunc Tuum laborem dudum prosecuta est alma Medicina, nec oscula huic denegarunt Viri in hac arte celeberrimi. Truncus essem, si non & ipse hoc Tuum venerarer studium, si non laudibus obruerem, non homo. Placebit hoc institutum posteritati, nomenq; Tuum transfundet in seros nepotes.

§. 4. Dum

§. 4. Dum igitur totus lectio[n]i pagellarum Chirurgiæ Tuæ incubui, inter legendum quædam occurserunt, quorum dilucidiores explicationem ingeniolum desiderat meum, idcirco quædam ex his tribus tangere hic proposui, non ista intentione, quasi Te, Vir Experientiss. à veritatis tramite aberrasse autumen, sed ut integrum tractatum hæc de re conscriptum maturares, autor Tibi essem. Sat commoda occasio Tibi ansam dedit, ut mentem ad ingonio[rum] hoc inventum converteres, sudoris nempè in febribus, & aliis affectibus malignis contumacia. Certè si quid est, quod in morbis malignis Medicos & ægros sæpius fatigat, sudor est. Omnes, hic ut moveatur, unicè quasi desudant Practici, omnes tamen finem optatum non attingunt, imprimis si Petechiæ & morbillorum Carbunculi à Circumferentia ad Centrum recurrent.

§. 5. Movit hoc sudorem sæpius ante annum Viro CL. Dn. Licent. Gotfrido Buxbaum, Medicinæ Practico hic loci felicissimo, Fautori & Præceptorí meo honorando, in Dysenteria maligna Epidemica, quo tempore citius quis aquam è pumice eliciisset, quām è quorundam corporibus sudorem, imprimis eorum, quorum extrema à prima morbi invasione rigebant, & usque ad ultimum vitæ halitum rigida & frigida permanebant. Et in febribus petechialibus, quæ passim jam grasantur, sudoris contumacia singulis ferè monentis nostris objicitur oculis & auribus.

§. 6. Quosdam quidem absque sudore curatos memini, sicut & Exemplum alicujus Pestæ infectæ & curatæ annotavit Experientissimus Giselerus, de Pest. Brunsv. obs. 29, quæ propter inquietudinem, ne guttulam sudoris profuderat, sudoris tamen necessitatem, ut malignitas à Corde amoveatur, non sine Causa seriò inculcant Practicorum Pandectæ.

§. 7. Pos-

§. 7. Possem hic in sudoris originem altius me immergere, & varias variorum de hujus ortu opiniones recensere, si tractatui, non Epistolæ calatum admovissem. Verum cum hæ Tibi satis superque sint cognitæ, meam tantum mentem ex dissertationibus meis de Fibris corporum naturalium mixtorum paucis afferam. Citato loco, *Fibris* (ex quibus omnia mixta proximè constare videntur) in animalibus inter alia & hoc offici affigno, ut sugant instar birudinum ex venis capillaribus fanguinem, & in cavitatibus ipsorum, tanquam stomachulis, coquunt aliquantis per, ut eò melius postmodum in alimentum & augmentum sibi adaptent. Jam verò cum sanguis non tantum ut eò melius moveatur, sed & à Fibris commodius attrahi possit, laticem serosum s. lympham habeat admixtam, illa serositas, utpote corpori a-lendo inutilis, factâ assimilatione à fibris postmodum segregatur, & per poros beneficio caloris tamen externi, quām interni apertos modo sensibiliter, modò insensibiliter ejaculatur.

§. 8. Queis præsuppositis facile causas sudoris sanguinei, cuj⁹ Exempla præter eos, quos allegat Excell. Sachsg in Oceano Microcosm. §. 75. recensent Theophrastus L. de sudoribus, & ejus Commentator Daniel Futlanus, Salomon Albertus Orat. de sud. Christ. Sanguin. Zacut. l. 2. Hist. Med. Princ. 20. pag. 183. Sebizi⁹ Exerc. II. Probl. 5. Gregor. Horst. l. 1. de morb. mul. part. 2. obs. 15. Post. Cent. 2. cur. 42., & alii, dari posse ibidem demonstro.

§. 9. Quocirca cum in peste & aliis morbis malignis poti sic obstruantur, ut nulla subsequantur sudoris effluvia, haud vana Te, Vir Excell. subiit solicitude, unde bac sudandi difficultas prima sumat cunabula. Et acutè satis alleges sanguinis visciditatem, qua in venis capillaribus, addo cum primis Fibris, quas retrograda materia occupavit & obstruxit, inchoata, majoribus etiam venarum ramis tandem communicatur, ut in his sanguis instar gelatinæ

tinæ concrescat, & moveri inæqualiter & cum languore inchoet.

§. 10. *Unde verò sanguinis hac visciditas?* A Miasmate maligno, respondes, utpote quod brevi temporis spatio massam sanguineam sic disponere & alterare possit, ut fiat serosi laticis à fibrosis partibus secretio. Magnus se hic aperiret dicendi campus de sanguinis visciditate, si ambagibus indulgere & liceret & liberet; contraham tamen sermonem, ne humanitate Tua abuti videar.

§. 11. Varii & admirandi à Naturæ Consultis fulminis effectus annotantur. Non enim tantum

Montes quatit impellens, discindit & arces (*Pontan. I. Meteor.*)

Non tantum hoc dolia exhauiuntur intactis operimentis, nulloque alio vestigio relicto, quod Plinius testatur. l. 2. H. N. c. 57. & Lucretius l. 6. de nat. rer. v. 227, dum canit:

*Curat enim ut vase integris vina repente Diffugiant:
sed & fracto dolio stat vinum, annotante Seneca l. 2. Nat. quæst. c. 31. vel ut loquitur Meurerus, (Meteorolog. p. m. 237.) vase diffracto obstupescere facit vinum, ne diffluat per biduum aut triduum. Causam subjungit hanc, quia subita & velox alteratio vini in extremum ambitum vasis expulsa ceu pellis obducitur liquori, ut consistere ad biduum aut triduum possit, ne diffluat, haud aliter quam ovum recens tenera pellicula obducitur, qua continetur omnis ovi natura, ne dissipetur in ventre gallinæ. Posse autem, pergit, talem ceu pellem in vino gigni, ostendit natura Psyllii, quæ vino injecta lentam quandam visciditatem, quæ abundat Psyllium, communicat vino, quæ à calore vini expulsa ad extimas partes, adhæret scit vase & densatur, ut etiam si detracta spina dolium aperiatur, non tamen effluat vinum. Hæc ille.*

§. 12. Ma-

§. 12. Magnus Sennertus l. 4. Epit. Phys. c. 2. p. m. 393.
calorem fulminis exteriores vini partes condensare, ut vinum
quasi pelli inclusum concretum stare videatur, autumat. Ger-
hard. Joh. Vossius l. 3. de orig. & progress. Idolol. c. 7. vim eam
tribuit humoris viscoso, calorique eum induranti.

§. 13. Has rationes mihi trutinanti Tu commodè obve-
nis cum Nobiliss. Sachio, illustri Naturæ & rerum naturalium
scrutatore. Tu quidem dum in Dissert. de Cancr. & Serpent.
petref. §. 18. asseris, fulminibus inesse Sal Tartareum; Ille ve-
rò, dum supra citato libro §. 52. refert Sal mirabile Glauberi e-
tiam vinum in durissimam glacieq; æmulam soliditatem com-
pingere; &, dum à Mercurio & aliis venenis intrò sumis san-
guinem in Venis congelatum fuisse exemplis demonstrat §. 136.
Jam verò & fulmini inest vis venenata, vel, ut Senecæ verbis ut-
tar, pestifera, sicut id vinum testatur fulmine congelatum,
quod homines bibentes interimit vel ad amentiam redigit.
Et probabile est, aves cum canibus à fulmine percussorum cada-
veribus abstinere ob veneni suspicionem, quamvis Sulfureum
odorem, quem spirant, cum Plutarcho l. 4. Sympos. q. 2. etiam
aliquid valere putem. *Cur ergò à venenato & Tartaro balitu
vinum coagulari non statuamus?*

§. 14. Obiter hic inspergere licet ex Sylvestr. Ratray
(adit. ad Sympath. & Antipath. p. m. 24.) remedium præser-
vativum vini esse, ne fulmine tangatur, si ferrum dolii super-
ponatur. *Ferrum verò venenis resistere, nullumque venenum esse*
Martiale, cum ♂ sit quasi minor ☿. sed vel Saturninum, vel
Mercuriale, vel Lunaticum docuit Ezlerus Isagog. Phys. magic.
med. c. 3. p. 77.

§. 15. Sed quorsum hæc, inquiet quispiam? Scilicet,
ut hoc exemplo effati Tui veritas magis magisque patet, &

causa sanguinis congelati aprico exponatur soli. Quod enim vino à veneni inspiratione contingit, idem & sanguini, quo circa vino illum comparare viri in arte nostra celeberrimi, Deusingius Exerc de alim. depuratione §. 35. & Willis de Febr. c. 1. non sunt veriti. Vinum à Tartari præsentia non raro redditur turbidum; sic quando in sanguine propter malam digestionem particulæ Salinæ non ritè exaltantur, verùm crudæ & magna ex parte fixæ permanent, inde cruor evadit Spissus & Circulationi ineptus, citatus Willis rectè statuit, qui & totus Tuus est, dum c. 1. c. 12. scribit: sunt aliis generis venena longè periculosiora, quæ sanguinem congelant, ejusque mixtionem destruendo corrumunt; scilicet massæ sanguineæ primò congelationem, dein putredinem inducunt: Cum enim Spiritus cruoris à veneni contagio profligati, dissipantur, liquoris mixtio inæquabilis solvitur: quare particulæ crassiores se mutuò implicant, & (instar lactis ab infuso coagulo aut spontanea aceſcentia) invicem coagulantur; & quæ alia ibidē legi merentur. Quæ ipsa sanguinis visciditas & causa est, cur veneno extinctorum corda in igne instar Salamandri ad tempus illæsa perdurare possint. Ad tempus dico; non enim penitus incombustibilia esse, prout credidit antiquitas, ex Spigelio nōs informat meritissimus Præceptor Magnif. Roflincius Diff. de Corde c. 2. p. 22.

§. 16. Nec tantum venenata miasmata per Cutis spiracula, la & oris halitum attrahuntur, sanguinem ut congelet, sed & venenatam qualitatem in corpore nostro generari posse olim concessit Galenus 6. de loc. aff. c. 7. quinimò venenum Kircherus Scrutin. de Pest. f. 2. c. 2. & ex hoc animata putredo, quod ante lustrum ferè primus docuit Experientiss. Hauptman. Epist. de viv. mort. imag. & post hunc citatus Kircherus, Petrus à Castro

stro de febr. punct. & desideratissimus Præceptor B. Langius
dissert. de morbill. & præfat. in Scrutin. de Peste Kircheri.

§. 17. Dum igitur sanguis in Venis à veneno glaciali rigi-
dus sudoriferorum efficaciam reddit irritam, non immeritò
mentem illorum abhorres, qui in re tām arduā omnia Progno-
stico committere solent, & desperatos non esse attingendos
clamitant. Scitè Poterius Cent. 2. obs. 1. In levi & per se sanabili
morbō Medicus quivis ægros ad optatum & placidum sani-
tatis portum reducere potest: contra verò in gravissimis mor-
bis, ubi susque deque omnia feruntur, & in quibus Syntoma-
tum & signorum agmen magno impetu in nos ruit, non nisi
cordatus & navigationis ejusmodi expertus mortales ab hac tem-
pestate reducet. Hinc ut Te hic præstes virum, omnibus secu-
lis inauditam propalas Chirurgiam infusoriā.

§. 18. Rectè autem mones §. 22. in affectibus à sanguine
congelato proficiscentibus eam tantum locum habere, non ve-
rò in quibus sanguis liquatus. Talem siquidem sanguinis liquefa-
ctionem in Peste & predictis affectibus testantur Hemorrhagia insi-
gnis Narium, mortis instantis non rarò precones, cuius Exemplum an-
tè aliquot septimanas in studioso, petechiali Febre correpto, &
mox fatis functo, supra laudatus Dn. I. Buxbaum observavit.
Memorabilem historiam annotavit Georgius Agricola l. 2. de
Peste, dum scribit, Anno Christi 1552. Misenæ mulieris alicuius
Pestilentia correptæ pectus & caput triduo sudasse sanguinem,
priusquam extingueretur.

§. 19. Nec tamen in omni sanguine congelato Chirurgiam Tu-
am locum habere, si felici eventu stipari vult, judico-
Sanguis e-
nim aut est congelatus & putredini proximus, aut totaliter corruptus.
Priori modo constituto illa subvenire aliquantis per posset; si
verò mortali fermento impregnatus sanguinis naturam exuit, ut

illum ne quidem sanguinis nomine nobilito (vix enim credo cum Helmontio, Tract. Lunare tributum, illum vinum potare, acetum qui bibit, quamvis hoc ex illo factum sit) ita illum inutilis planè dico cum Galeno 4. M. M. c. i. qui ad naturam suam penitus reverti non potest, dictante Foresto L. 20. obs Med. 3. Quod & ipse fateris, dum §. 38. edicis: Quò firmior vitalis purpura concrevit, eò certior mors, ut minus spei tunc fuerit ex Chirurgia infusoria petendum.

§. 20. Circa conditiones §. 21. positas nihil habeo quod moneam, nisi quod c. l. & antecedente §. 11. doces, insufflari posse pertubulum, & etiam ope manus in venam intrudi liquorem. Jam si queratur, *uter modus convenientior videatur*, ego posteriorem eligerem. Prior enim partim chirurgo, partim ægro aliquid creare, vel saltem minari potest periculum. Peſiem balitem oris propagari inter alios annotat Hieron. Jordanus de eo, quod est in morbis divinum, c. 13. p. 54. Quid si Chirurgus balitem venenatum è vena pertubulum exhalantem exciperet, & eidem subjiceretur equuleo? Nec ægro oris halitus simul cum Liquore venæ intrusus semper conveniet. Saliva non tantum vim fermentantem tribuunt moderni, imprimis Schenk. hist. Ser. sangu. c. 5. Svalbe ventric. querel. & opprobr. p. 43. eamque Fermenti cuiusdam vicem subire in Ventriculo Warthonus Ade-nograph. c. 21. p. 125. asserit; sed & balitiū oris illam tribuendam esse vel peritiores norunt Pharmacopæi, qui Syrupes in propriis vasculis gustare recusant, ne ob halitum oris vasculo communicatum, fermentationem experiri, & aescere Sirupi, necesse habeant. Et quamvis halitum sani & probè nutriti hominis expiratum, & in peculiari ad id excogitato Pnevmatolabio in albicantes Cry-Itallos concretum in Phthisi summoperè extollat Fabritius Bartholettus Method. in Dispnoeam l. 5. p. m. 391. tamen quis quoque est, qui

est, qui quamvis alias sanus, vel ob assumtum cibum & potum, mutatum & odore exoticō coinqūinatum non exspiret halitum, qui medicamentum & liquorem infundendum alterabit, & ejus vires immutabit.

§. 21. Et hōc tanto magis, si Chirurgus in cuniculatis pulmonum partibus phtisis gestas. Talismodi halitus propter fœdas pulmonum exhalationes liquorem defœdabit, & medicaminis vim infringet, quod vel exinde patet, *quia halitus oris phtisis propagatur, ceu docet Septal. Comment. in Arist. Probl. p. 381.* & Exemplum memorabile narrat Phil. Salmuth. Cent. 3. obs. 64. Halitus oris quid possit, qui oculorum curæ incumbunt, usu apprehenderunt, quare ne ille oculis affectis nocivus existat, fœniculum mandunt dentibus pro halitus alteratione. *Et quod s̄pē vulnra & ulceratardius currentur, non minimam culpam puto in Chirurgos esse rejiciendos, utpote, qui dum vulnera deligant halitu oris s̄pē fœdissimō illa afflant, & fermentationem corruptivam apposito Medicamento contrariam sic excitant.* Quamobrem ne Chirurgus, prout dictum, lædat aut lædatur, suaderem, ut aut posteriore modum eligeret, aut halitum masticatione Radicis alicuius alexiteria corrigeret. Hæc de modo applicandi.

§. 22. Jam de liquore infundendo, qui Tibi, ceu §. 46. ingenuè fateris, scrupulum aliquem adhuc movet. Fateor in hujus cognitione inventi cardinem verti: imo nisi hic innotescet, tota hujus inventi collabetur strues. Dicis autem, vel hunc esse debere Naturæ Salinæ, vel Sulfureæ, vel cum Miasmate pravo homogeneæ. E Salino generetibi arridet Spiritus salis Ammoniaci, cui virtutem Diaphoreticam & incisivam tribuit Excell. Schröderus l. 3. Pharmacop. c. 25. Nec incongruè hunc adhiberi observatio & Experimentum Olai Borrichii,

ehii, quod Nobiliss. Bartholinus Diff. Anat. de Hepate defuncto circa finem addidit, demonstrat; ita verò habet: CL. vir Olaus Borrichius, Collega & amicus, nuper valido cane vivo secto statuit quinque vascula vitrea ordine, quibus infusus erat Spiritus aceti, ol. Sal. Tartari per deliquum, solutio aluminis, Spir. Salis ammoniaci, Spir. vini; in singula vitra ex arteria inguinali calentem sanguinem infudit; inspexit post intervallum & pleniū poststridie omnia, observavitque, Sanguinem, cui affusus erat Spiritus aceti, redditum nigricantem instar sanguinis melancholicorum, sedimento crasso, copioso, atro, supernatantem liquorem penè etiam atrum; cui affusum ol. Sal. Tartari, redditum coloris sic satis floridi, sed turbidiorem liquorem, sedimentum nullum, ramenta tantum fibrillarum instar hinc inde conspicua; cui affusum solutio aluminis, redditum instar putidæ & subcineritiae putrilaginis, omni sanguinis colore prorsus abolito; cui affusus Spiritus vini, redditum turbidiorem, quam cui ol. Sal. Tartari; cui Spir. Sal. Ammoniaci, redditum omnium elegantissimum, colore floridum, substantia tenuem, in fundo sedimentum diaphanum instar gelatinæ ribum.

S. 23. An ad Opiatorum asylum hic confugere liceat, dubitas, & ipse tecum. Medicamenta somnum conciliantia susterre vel figere Spiritus, & quasi torpidos reddere, stuporemque inducere, in confessu est, ideoque iis abstinere debet Medicus, ubi expellere animus est: Gifeler. obs. 36. Hinc paucis ex pestifero contagio Phreneticis parva dosi in principio data, obortu ne tempore sudore, profuisse idem affirmat obs. 42.

S. 24. Sulphurea quod spectat, ea, quæ Petro à Castro de his mens fuit, Hippocratis quadrat experientiæ, ut apud Kircherum c. l. S. 3. p. m. 358. legere est, qui in sulphuris & sulphureorum

reorum laudes totus fertur, & ea de causa illud *Geiov* vocatum à Dioscoride l. 5. c. 78. astruit. Iisdem encomiis Balsamum Sulfuris obruit Linzer, tr. de Sulfure adserit. i. p. 51. Quæ Celeberrimi Kircheri opinio ut repudium non meretur, ita alias adhuc dari causas, ob quas Sulfur *Geiov* s. divinum audiit, dari non negandum. Fulmen, cui aliquid divini inesse sibi persuasum habebat gentilitas, odorem spirat Sulfureum, hinc fulmen Sulfur sacrum dicitur Persio Satyr. 2. v. 25, qui hæc de Jove:

Cum tonat ocius illex

Sulphure discutitur sacro.

In illustrationibus sive purgationibus itidem fuit adhibitum, quod ex Apuleji l. II. de aureo asino patet, ubi hæc leguntur verba: Simulacris ritè dispositis navem faberrimè factam picturis miris Ægyptiorum circumspectus variegatam summus Sacerdos teda lucida, & ovo, & Sulfure solennissimas preces de casto præfatus ore, quam purissimè purificatam Deæ nuncupavit dedicavitque, quo de plura in hunc locum annotavit Beroald. p. m. 714.

§. 25. *Willisii sententia non ita plana est*, & clara, ut planior & clariorem non exposcat dilucidationem, cum multis adhuc sit obnoxia scrupulis. Non semel interim admiratio mentem meam subiit, cur Bufo venenum traheret è bubone, & aranea ipsa apposita & trita resistat puncturæ, ab ipsa factæ, cur itidem aranea veneno bufonis fiat antidotum, & Thora juxta Anthoram sata felicius crescat.

§. 26. Modum, quomodo medicamentum sive liquor in Venam intrusus operari debeat, aperis §. 53. dum scribis: ope cujusdam liquoris penetrantioris novam quasi in sanguine fermentationem suscitari, qua fibræ utcunque rursus dissolvantur, conjiciendo corpus artificialiter admodum in febriculam,

tanquam morbum minorem &c. Sententiam hanc tuam fulcetis oraculis Hippocraticis, imprimis aph. 57. l. 4: Si cui convulsione aut distensione nervorum detento febris successerit, morbum solvit; cui addi potest l. 6. aph. 57. *Verum auxilium ab hoste peti, quis non videt?* Præsupponitur hic, (α) Naturam esse victimam, vel, ut cum Helmontio, ex Tract: Ignotus hospes morbus, n. 89. loquar, jacentem, morbum contra, victorem & stantem. *nam verò absque Nature ope qui medetur, frustra medetur.* Frustra fermentationem quis excitare nititur, si Archæus imperium faciens auxiliatrices ipsi non afficer manus?

§. 27. Et licet (β) concederem, fermentationem posse excitari & febrem à Meaico, anne illa morbo aquabiliter auferendo statim respondebit? cum proportio inter agens & patiens utique requiratur. Si levis erit febris, affliget potius Naturam, quam juvabit: si acuta & vehementior, illa Naturam, cui morbus intimius nupsit, de virium dejiciet robore, ut sic palmam morbo porrige-re oppidò cogatur.

§. 28. (γ) Venenum fixum & in circumferentia barens ex-citata fermentatione volatile factum Centrum subicit cordis, & morti portam aperies & fenestrarum.

§. 29. (δ) Natura sit adhuc vegeta; fermentatio in sanguine suscitata; febris proportione respondeat morbo; an id-circò sudor (hunc enim ut excitemus, sudamus) in instanti sequetur? Considera febres ardentes, febres ipsas malignas & pestilentiales, quantam sanguinis ebullitionem, quantam fermentationem causantur, & tamen raro, nisi Criticè, huic succedit sudor. Quod si hoc evenit, dum Naturæ robur morbo palmam adhuc facit dubiam, quid fiet viribus à morbo prostratis & profligatis?

§. 30. Loca quod concernit Hippocratis, nec ea omnium ferunt applausum. Non omnem febrem collere Spasmus, sed ephebe-

ephemeram tantum, aut levem putridam, Galenus comment. 57. fatetur. Apoplexiæ Febrem conferre probat Zacut. I. i. Med. Princ. hist. q. 23. p. 66, Nymmannus tamen tr. de Apoplex. c. 37. Simpliciter hoc verum esse negat, quod nec ipse Hippocrates it infinitas i. Prorrhæt. 2. aph. 58. & Exemplo filii Numeni confirmat Galenus in h. l. comm. 2. adeoque ob hanc caufam illud remedium minùs tutum pronunciat Sennertus lib. i. Prax. part. 2. cap. 27. pag. 555.

§. 31. Sed quò dilabor? Quid scintilla Ingenioli & judicij mei ad faciem Phœbæam judicii Tui defæcati? Quid gutta doctrinæ meæ ad immensum eruditio[n]is Tuæ Oceanum? Claudio hosce rivulos, magnum in modum Te, Vir Excel[ime], rogitans, ut hæc ingenii mei crepundia fætentibus lustres oculis, & pro celebri humanitate tuâ in optimam partem interpreteris. Quodsi hoc cum paucis lineis Responsoriis à Te, Vir celeberrime, impetravero, magnam desiderii mei partem asseditus mihi videbor, meumque in id unicè incumbet studium, ut tuo velificetur honori & favori. Vale, faveque
Ilenburgi, Calend.
Mart. 1665.

Celeberrimi Nominis Tui

Cultori indefesso

CHRISTIAN FRIDERICO GARMANNO,
Medicinæ addicto.

XV.

Alia EIUSDEM Epistola,
serius transmissa,

(Tit.)

N 2

§. 1. Ne

NEgrave sit, iterum Te salutantem benevolentiam & humilitatem Tuam toties celebratam excipere. Nominis Tui celebritas, quam Orbem, admirabilis tua eruditio, quam doctos, indefessa Industria, quam Medicinam, reples, exhilaras, auges, tantum apud me valuerunt, ut calamum amplius inhibere non potuerim. Calcar addidit huic meo conatui nuper per Dn. Jac. Barnerum Tui factam meritio, qui literas meas dudum ad Te exaratas, Tibi non ingratas fuisse, confirmavit. Excusso proinde omni rubore de eadem fermè materia pauca quedam adhuc Tecum verba facere constitui. Antequam vero id faciam, &c. - - - - -

§. 2. Cæterum cum Te jam totum in Chirurgiâ illustrandam ac excolendam occupatum testentur Deliciae tuæ hybernæ nuper Luci publicæ donatae, rem non ingratam Tibi futuram spero, si, ut modo dixi, pauca quedam circa tria tua nova Inventa addam. Inventionem Chirurgiæ Tuæ & sibi tribueret videtur *CL. Elßholzius*, ut non sine causâ mireris, cur Tui in Clysmaticâ novâ sicco calamo præteriorit mentionem. Experimenta vero ejusdem multum sanè lucis praefato tuo Invento affundunt. Quod in homine eandem facilius procedere scribit, ac in canibus, facillimè ipsi largior. Utitur iste in hunc finem Instrumento Clysmatico, quod commodius est, quam fistula aut tubulo alligata vesicula, quia majori cum impetu in veniam intruditur Liquor, altiusq; venis hoc modo inflatur. Felicius id procedet, si rostro aliquantis per incurvato hoc instrumentum gaudeat. Lancettam loco phlebotomi quando eligis cum eodem, facile meum assensum reportas. Placet cum primis vulnus longitudinaliter sectum, cum ob alias causas, tūm quia Sanguis minori cum impetu videtur egredi, liquorisque ingressum non ita sufflaminare.

§. 3. Miror interea, cur medici timidiusculi ægris non persuadeant, ut hanc divinam operationem, morborum confirmatorum averruncum strenuum, admittant, sanitatem ut recuperent pristinam. Commendavit hanc in suo de *Peste* scripto nuper CL. Erpenius summo Horstio; an verò contra hydram hanc præfato usus fuerit Hercule, nondum mihi innotuit.

§. 4. Te, Vir Excell^{me}, eandem in brutis & hominibns tentasse, nullus dubito: miror tamen, cur nullam Experimentorum factorum invento tuo primo adjeceris mentionem. Reservasti forsan eadem Chirurgiæ Infusoriæ propediem edendæ, quam ne docto amplius invideas Orbi, hisce omnixè sollicito.

§. 5. Causa, cur abstineant ab hoc opere Chirurgorum & Medicorum manus, non tam est ipsa operatio, quām vexata illa de *Liquore infundendo, ejusque dosi*, controversia. Talem omnes reticent, qui in hoc studio sudarunt, immò de illo ipso certi quid proferre, piaculum putant. Una omnibus Vox, talem esse debere liquorem, qui non sanguinem, aut potius sal in ipso volatile figat & præcipitet, morboque ipso majorem corpori minetur noxam.

§. 6. E *Sale Centrali Natura* eundem parari posse, voluit nuper Vir quidam Clarissimus; sed illud inter Entia rationis reposuit Chymiate r̄ eminentissimus. *Mercarium universale* commendat Tackius, ut & sulfurea, *Tincturam solarem*, Cygnūm in fonte sapientiæ submersum, post mortem resurgentem seipso candidiorem, inque Phœnicem rubicundum abiturum. *Sal liquidum volatile Sylvianum* hic aliquid posse, dictitat August. Henr. Faschius, ord. & method. cognosc. Causum, cap. 41. pag. 80. Talis generis hic liquor potest esse, ulterius, pergit,

pergit, cuius descriptionem Chymiae cupido hanc proponimus. Aquila esuriens seu volitet, seu in Nido hæreat, putreficit in fimo, tandemque per novam generationem resuscitatur, juvenis facta eleganter nitescens, cui nisi maturo tempore struatur nidus, avolat in auras, nec amplius oculis se subjicit nostris. Oedipum talia requirunt, non Davum, & absque vatibus & Prophetis non facile intelliguntur. Quaeis hæc Eleusina rimari non licet, *particularia, proratione morborum & indicantium*, adhibeant. Possem quidem circa hoc negotium quædam balbutire, sed cùm Experientia eo modo, quo debet, mihi non sit à latere, absque ejus satellitio prodire erubesco. Dicant id potius ad clavum Artis nostræ sedentes Dictatores, qui si hæc in re meam confirmabunt sententiam, magnum in modum ingeniole meo gratulabor.

§. 7. *Infusi hæc tenus sulfurea, acida, narcotica, purgantia, Canibus sæpius:* id tamen testari possum, me *unius Liquoris Infusi diversos sape deprehendisse effectus.* Hoc cum primis natu dignum, quod non tantum purgantia, ut ipse in Prodromo, §. 44. notas, etiam in majori dosi Canibus propinata, nil proficiant, sed & opia. Dedi namque aliquando xvii. grana Opij crudi Cani, in quo tamen ne minimam quidem ad somnum propensionem animadverte. Contrà verò, si Venis instillentur, solennem concitant effectum.

§. 8. Quæ curiosum animum exercere posset, hæc esset quæstio: *An Chirurgia Infusoria in foetu in Lucem edito administrari possit per Vasa Umbilicalia, ut ita non tantum à morbis futuris præservetur, sed & ab hæreditariis liber degat?* Multa suadent hanc operationem; Venularum patentia, Via recta, quâ ad Epar, & ab hæc ad Cor fertur salutaris hic Liquor, prout sanguinis in foetu Circulatio à Maurocordato, Instr. pneumat.

mat. Circ. Sangu. c. II. p. 95. tradita id confirmat. Posset & hæc adhiberi, quando fœtus exanimatus ferè luce in adspicit, si non tantum balneetur in Vino, sed & Vini Malvatici aliquot guttulæ hoc modo ipsi infundantur. Tentavi hanc operationem, quamvis difficillimè in hoc procedit, in catello, qui modò in Lucem editus erat. Infundebam ipsi aliquam portiunculam Spiritus Vini rhenani; & præter solitum incalcescebat; paulò post superinjiciebam aliquot guttas *Liquoris Narcotici*, & en! horrore percutiebatur, & stupidus evadet. Elapsâ semihorulâ de purgante paululum inspersi, & alvo solutâ ad se redire videbatur. Plura non addo, ne in Humanitatem Tuam peccem.

§. 9. Ad Alterum Tuum Inventum paucis me converto. Ingenium sapit hæc genuina Chirurgia Tuæ soboles, Transplantatio, à nullo, quod sciam, ante Te propalata. De Transplantatione Mumiali multa Tenzelius in Medic: diaст: de hæc verò Tuâ altum apud omnes silentium. Hoc unicum tantum recordationem subit meam, in Angliâ pariter eandem ex parte demonstratam fuisse à D. Entio, prout à Medico Doctore, qui ad tempus Londini vixit, mihi narratum. Affirmavit prædictus Entius, se velle unius hominis sanguinem in alterius Corpus derivare, si modò congruis instructus esset instrumentis. An verò in usum, usum ut præstet, trahenda hæc Transplantatio, vix credibile, nisi in iis, quos Hemorrhagia ad internectionem usque defatigavit. In cæteris contrà, v. g. Causario, Phthisico, Heptico, qui hoc modo sanguinis purpuram depravatam emaculare conatur, Æthiopem lavat. Causa in Promtu est, quia ut ut aliquot uncia sanguinis puri Venis, impuritatum amurcâ refertis, infundantur, nec tamen pristinus nitor redibit crux, nec vigor:

Since-

Sinterum nisi vas, quodeunque infundis, acefit.

§. 10. Aliquando sanguineus Liquor visciditatis peculia-
ris latellitio stipatur, ut venâ apertâ nil effluat, quâm sanguinis
bonitas; sex contrâ humorum Excrementitorum, venarum
canalibus infixa, relinquitur, iisdem non raro, ut mucus inten-
sissimis, adhæret, cuius portiunculas dum secum aliquandò inci-
sâ venâ violenter erumpens sanguis educit, membranas al-
bas, sanguini innatantes, mentitur, ut tale quid in Pastore
quodam, Scirrho Epatis laborante, deprehendit Beatus meus
Parens. Ut igitur pauca fermenti portiuncula totam massam
fermentare facit; ita & relicta in Venis impuritas totum san-
guinem. Non addam tonum Viscerum in talibus insigniter
laesum, eaque aliquando Scirrhosa & corrupta deprehendi.
Quid ergo commodi præstabit sanguinis Flœridi in Venis por-
tiuncula stagnans, nisi & illa à vitali & mumiali balsamo con-
diatur, àque specifico viscerum fermento imprægnetur? Tra-
ham hoc illud Poëtæ:

Non minor est virtus, quâm querere, partatueri.

§. II. Tertium Inventum Verticis Inunctio vocatur,
Quæ de Topicis morborum, oppidò merentur calculum. Non
miror, Te ad Verticem respexisse in hoc, ob rationes à Te al-
latas: hoc tantum miror, cur non idem Umbilico assignave-
ris, huncque illi præpolueris. Non tantum Umbilicus cen-
trum est Abdominis seu Ventris, secundùm Elsholz. Anthro-
pom. c. 24. pag. 231 sed in illo Centrum gravitatis totius Cor-
poris non sine causâ esse voluit Helmontii filius, Alphab. Na-
tur. Colloqu. 4. p. 27. Commoditatem itineris à Verticis vasis
ad Cor allegas: sanè commodiorem medicamentorum viam
ab umbilico ad ipsum Cordis centrum vix habebis. Petit
nempe huic communicata vis statim ipsum Hepatis parenchy-
ma, &

ma, & ab hoc à Venæ Cavæ propaginibus excepta, ipsum cordis atrium. Perspirabilem esse illum capitistratum adstruis; verius hoc ad Umbilici clima trahitur. Quid enim umbilicus aliud, quam sensibilis & conspicuus abdominis porus, per quem sine dubio validissimâ diaphragmatis compressione sit exspiratio & Inspiratio Aeris sensibilis. Probant id Topica umbilico summâ cum utilitate apposita in præcipuis corporis nostri morbis. Illustrasti ipsius hanc meam sententiam, Invent. 3. §. 9. inque eam abire penitus, mihi videris. Cordalia refrigerantia, & calefacentia Epatica huic admota, multum profuisse memini, & Emplastrum fœtum roborantia & abortum præcaventia fœtui & matri in solatium cedere quis est, qui neicit? si gravidam purgare gestias, Ventri, imprimis regioni Umbilicali, panem tostum cum Nuce moschatâ Grembsius apponit. Et olea, & balsama Stomachica hic commodum invenire locum in Dysenteriâ ante aliquot annos Epidemiâ, pluribus Observationibus deprehendi. Cucurbitulam ingentem cum multâ flammâ umbilico impositam, incantamenti instar Colicæ tyrannidem compescere, ex antiquis Galenus & Aëtius, è recentioribus verò Experientissimus Balth. Timæus à Güldenklee lib. 3. Epist. 9. pag. 167. expertus est. Nec plebi hoc ignotum, quia non tantum lateres & marmora calefacta, ut olim Trallian. lib. 10. cap. 1. sed & fila cruda, (Rohegarn) quod in Hetruriâ faciunt, notante Solenandro, admovent. Et rectè monet Hartmannus in Praxi, Balsami Apopl. aliquot Granis Zibethum animatum, & umbilico illitum, multum præstare.

§. 12. Sed cur hæc prolixius, quam deberem, Tibi propono, cui hæc vilia facilè Stomachum ac bilem movere possunt? Sufficiat mihi, in his sublimioribus aliquid tentasse. Si

O aber-

aberravi, in viam errantem, quæso, reduc, Tibique à benigniori cœli influxu infusam Humanitatem in hæc ingeniali mei dumeta transplanta, favorisque Tui balsamo ejusdem debilitatem corroborare non abnue, meque, si dignum judicaveris, amare perge. Servet Te DEUS, artis nostræ ocellum!
Lipsiæ, Calend. Jun. Ann. 1667.

CL. T. Cultor perpetuus

CHRISTIAN-FRIDERICUS GARMAN,
Medic. Baccalaure.

EPISTOLARUM FINIS.

IV. DU-

[•••(107)••]

IV.

DUBIA

contra Chirurgiam Infusoriam
ex præcedentibus

CLARORUM VIRORUM
EPISTOLIS

extracta, & Methodicè ad breves quasdam

TABULAS

redacta,

O 2

(I.) Numeri

(I.) Numericus

DUBIORUM ORDO.

Dubium I.

Chirurgiam Infusoriam minus accurate sic vocari.

II.

*Fatalem unicuique praestitutum esse Vita Terminum;
cujus Prolongatio proinde per Chirurgiam Infusoriam non
debeat tentari.*

III.

*Si Aeger sub administratione moriatur, culpam tristis
eventus Medico facile imputari, ipsumque Homicidii re-
um fore.*

IV.

Gloriam Inventi & Inventoris minimum diffamari.

V.

*Olim tutius licuisse experiri, ob majorem Aegrorum
obedientiam.*

VI.

*Multa Intellectui blandiri, quaeverò ad experimentum
vel planè non, vel non citra periculum, revocari possint.*

VII.

*Sufficienter demonstrandum esse, Eventum laudabi-
lem omnino sequuturum.*

VIII.

*Magnam difficultatem de Medio (de Infundendi Li-
quoris*

109

quoris specie) adhuc harere, nec determinari certi quid.

IX.

Eiusdem Liquoris diversos effectus esse.

X.

Ab Experimento in Brutis facili, ad Hominem non argumentandum esse.

XI.

Inventum non esse novum, quia cum rebus conveniat in veteri Medicinâ tritis.

XII.

Vel esse nimis novum.

XIII.

Immò periculosum, quia missâ (infundendi liquoris ergò) vel sanguinis guttulâ, vires ægri projiciantur.

XIV.

Infusoque liquore Auram malignam ad Venas & Cor revocari.

XV.

Introductâ per Artem novâ Sanguinis fermentatione, calorem augeri.

XVI.

Si Liquor flatu Oris in Venam impellendus sit, idque fiat à Chirurgo minus fano, novum miasma sanguini communicari.

XVII.

Vel Chirurgum, exspirando & inspirando per Fistulam,

O 3

lam, ipsum facile auram pravam ab Aegri corpore attracturum esse.

XVIII.

Et totam rem in Brutis, quam Homine, facilius fieri.

XIX.

Nam, non turgere Venas in Homine.

XX.

Etiam si turgidas, attamen exiles esse.

XXI.

Ob inquietudinem plerosque Aegros Chirurgiam non admissuros.

XXII.

Alios, ob Morositatem & Timiditatem, eandem exosfuros.

XXIII.

Aut, si etiam admiserint, Naturam tamen non cooperante frustra omnia.

XXIV.

Et strictius: sine Cooperatione Archai non expectari debere novam in Agonizante fermentationem, quia spiritus Fermentator absit.

XXV.

Vel Spiritus quelescunt, residuos altè prorsus esse in Sanguine sepultos.

XXVI.

Si Fermentatio etiam suscitetur, hanc tamen morbo aequaliter auferendo non fore.

XXVII. *Vel,*

XXVII.

Vel, si Morbus tollatur, hoc tamen fieri per accidens.

XXVIII.

Idque merè paliative, quatenus Mors paulò post sequatur.

XXIX.

Immò opinione celerius, & , antequam omnia admistrari possint, mortem appropinquaturam.

XXX.

Laborem verò etiam administrationis Chirurgo multiplicari.

XXXI.

Nec certum aliquem, qui Vena Infundi debeat, Li. quorem determinari.

XXXII.

Et dubium esse, an is Salinus ac acidus esse debeat?

XXXIII.

Vel, sigillatim, Ammoniacalis?

XXXIV.

Vel Tartareus?

XXXV.

Vel Opiatus?

XXXVI.

De Opiatis mitius cendum esse.

XXXVII.

Neque porrò, an Liquor cum pravo miasmate sanguinis Harmonicus esse debeat, liquere.

XXXVIII. Aut,

XXXVIII.

Aut, an Sulfureo-Balsamicus?

XXXIX.

Quin, Unum aliquem Liquorem non sufficere, nisi sit Medicina Universalis.

XL.

Et Confortativum summum.

XLI.

*Tum & incertum esse, an debeat esse Aqua Destillata,
vel Spiritus. &c.*

XLII.

Nec certum aut sufficiens pondus allegari.

XLIII.

Præterea, qualemcumque etiam Liquorem, non admissum in Venâ, aut in eâdem facile dispersum iri.

XLIV.

Aut receptum in venâ, attamen spharam Activitatis sua non complere posse.

XLV.

Immò ipsum potius pati mutationem in Venis.

XLVI.

*Vel non citius agere, quam Medicamentum alias,
per os assumtum.*

XLVII.

*Sietiam diaphorefin actu exerceat, malum fore pè-
jus, cum usu diaphoreticorum multi perierint.*

XLVIII. Econ-

XLVIII.

E contra alios, morbo maligno detentos, sine sudoris successu, convalescere.

XLIX.

Unde Chirurgia Infusor: administrationem in aliis potius Affectibus utilem futuram.

L.

Ac planè ipsi suffitus praestare.

LI.

Si tamen administrari debeat, Versus axillas nullum vinculum debere strangi.

LII.

Contra: Malè omissam esse ligaturam arctam.

LIII.

Deinde, Lanceolæ usum Phlebotomo vulgarie esse tutiorum.

LIV.

Incertum esse, qua Vena sit secanda?

LV.

Alias item Venas, praterquam in brachio, secari posse.

LVI.

Et Instrumentum Clysmaticum praestare, idque Rostro curvo, quam Vesiculam, Fistula aut Tubulo alligatam.

LVII.

Porro: Pro Agonizantibus non habendos, in quibus Pulsus adhuc utcunque constet.

P

LVIII. San-

*Sanguinem querar isime in Venis Hominis vivi con-
gelascere.*

LIX.

Et in Peste imprimis fluidum potius esse.

LX.

*Ubi (sicut alias etiam) post mortem demum conge-
lascat.*

LXI.

*Ac sanguinem potius citra sui conglomerantiam morta-
liter alterari posse quoad partes suas balsamicas.*

LXII.

Negat ex congelantia sua sequi ejusdem visciditatem.

LXIII.

Et sanguinem viscidum reddi etiam extra dictos Casus.

LXIV.

*Vel Visciditatem, que fiat à Miasmate pravo, ac-
curatius explicandam esse.*

LXV.

Hujus verò non haberi signa manifesta.

LXVI.

*Caterum de eo quoque dubitari, an in Morbis mali-
gnis Tumores retrocedant, quod ab acredine congeletur
sanguis.*

LXVII.

*Alias mirum non esse, si retrò cedentibus Tumoribus,
pejus habeant Ægri,*

LXVIII, Mi-

LXVIII.

*Mirum verò Agonizantes inquietos non habere san-
guinem enormiter concretum.*

LXIX.

Sudorem prætereà non deficere ex Viscositate sanguinis.

LXX.

Sed ex obstruzione fibrarum,

LXXI.

Velex defectu Laticis.

LXXII.

Neg. sudorem esse propaginem sanguinis fermentatis.

LXXIII.

*Spectandum insuper esse, an Fermentatio deficiens à
Venis sit, vel ab Arteriis?*

LXXIV.

*Et planè, unde Motus sanguinis naturalis, vel im-
peditus, deliberandum.*

LXXV.

*Insuper: Causas, cur Agonizantes Medicamenta per
os accipere nequeant, non determinari.*

LXXVI.

Frustra verò tentari opem in Deploratis.

LXXVII.

*Et alioquin, in Bubonibus pestilentialibus à me ma-
lè probiberi Venæ sectionem.*

*Nec in omni sanguine congelato convenire Infusori-
am Chirurgiam.*

LXXIX.

*Immò hāc planè me agere contra communem meden-
di methodum.*

LXXX.

*Falsòque me credere, Medicamenta per os assumta,
in Viis primis inquinari.*

LXXXI.

Vel Bezoardicorum operationem esse adeò tardam.

LXXXII.

Tùm potiùs, Multa agere per Irradiationem.

LXXXIII.

Et Spiritum Vitrioli dari innoxium.

LXXXIV.

*Denique, me non esse primum Chirurgie Infusoria
Autorem.*

LXXXV.

Nec bucusque rem Experimentis sat probasse.

LXXXVI.

*Justòque latius Textum quendam Hippocratis ex-
tendisse.*

(II.) DU-

(II.) DUBIA Eadem
 ad TABULAS redacta,
 ut dispositionis ac Connexionis Ratio
 Benevolo Lectori
 eò evidentior reddatur.

TABULA I.

DUBIA contra Chirurgiam Infusoriam prolatā, spectant vel

1. NOMEN Inventi, ejusvè Titulum: Minus accurate Chirurgiam Infusoriam vocari. vid. Dub. I.

2. Ipsam REM: contra quam agitur vel

1. Theologicè: Impie tentari prolongationem vita, cum Fatalis ejus Terminus jam adsit: vid. Dub. 2.

2. Philosophicè, quantum huc spectant

Moralia:

1. Si Äger sub administratione moriatur, culpam Eventus Medico facile imputari. vid. Dub. 3.

2. Gloriam Inventoris & Inventi minimum diffamari: vid. Dub. 4.

3. Olim tuius licuisse experiri, ob majorem Ägrorum obædientiam. vid. Dub. 5.

Idealia, & Theoretica magis: vid. Tab. II.

3. Medicè: vid. ibidem, & Tab. sequ.

3. PERSONAM Autoris:

1. Me non esse primum Inventi Autorem: vid. Dub. 84.

2. Me nondum hæcenus Rem Experiments sat probasse. vid. Dub. 85.

3. Me justo latius quendam Textum Hippocratis extendisse. vid. Dub. 86.

TAB. II,

Inter objectiones, quæ Rem ipsam impugnant, quædam
seorsim jam sunt vel

Ideales, & spectantes ad Philosophiam Theoreticam, videlicet:

1. *Multa Intellectui blandiri, quæ verò ad Experimentum vel planè non, vel non citra periculum revocari possint.* vid. Dub. 6.
2. *Sufficienter demonstrandum esse, Eventum laudabilem omnino sequentrum.* vid. Dub. 7.
3. *Magnam difficultatem de medio (de Infundendi scil. liquoris specie) adhuc hæcere, nec determinari certi quid.* vid. Dub. 8.
4. *Ejusdem liquoris diversos effectus esse:* vid. Dub. 9.
5. *Ab Experimento, in Bruti faciliter, ad Hominem non argumentandum esse.* vid. Dub. 10.
6. *Inventum non esse novum, quia cum rebus conueniat in veteri Medicinâ tritis:* vid. Dub. 11.

Medice, eaq; plurimæ, directæ vel contra datam in Prodromo

{ *Thesin: vid. Tab. III. sequ.*

{ *Hypothesin variam: vid. Tab. VIII. seq.*

TAB.

TAB. III.

Theſi in prodromo datæ quæ militant, ea respiciunt In-
venti Infusorii vel

Scopum ac Uſum, de quo vid. Tab. IV. seq.

Administrationem, ejusque Circumſtantias. Ex. gr.

1. *Versus axillas nullum vinculum debere stringi*: vid. Dub. 51.

2. *Malè omisſam effe Ligaturam arctam*. vid. Dub. 52.

3. *Lanceola uſum plebotomo vulgari effe tutiorem*: vid. Dub. 53.

4. *Incertum effe, qua Venas ſit ſecanda?* vid. Dub. 54.

5. *Alias etiam Venas, praterquam in brachio, ſecari posſe*. vid.
Dub. 55.

6. *Prefbare Instrumentum Chymaticum, id est rostro curvo, quam
Veficulam, fistula aut tubulo alligatam*. vid. Dub. 56.

TAB. IV.

TAB. IV.

Contra Scopum Inventi Infusori hæc militant. Esse

1. Planè novum. vid. Dub. 12.

2. Periculorum, partim

Agonizanti Ægro: nam

1. Vires eius projici, missâ vel guttula sanguinis: vid. Dub. 13.

2. Auram malignam ad Venas & Cor revocari. vid. Dub. 14.

3. Introductâ per Arteriam novâ Sanguinis fermentatione, calorem augeri. vid. Dub. 15.

4. Si Liquor flatuoris in Venam impellendus sit, idque fiat à Chirurgo minus sano, novum miasma Sanguini communicari: vid. Dub. 16.

Chirurgo, in administratione simili: nam Exspirando & inspirando perfistulam, ipsum facile auram pravam ab Ægri corpore attracturum esse: vid. Dub. 17.

3. Difficilem asecutu; inutillem etiam &c. vid. Tabul. V. VI. & VII.

4. Minus necessarium, cum sine sudore etiam maligni affectus quandoq; procurentur. vid. Dub. 48.

5. Utilem potius in aliis Affectibus: vid. Dub. 49.

6. Suffit us deniq; praestare. vid. Dub. 50.

TAB. V.

TAB. V.

Chirurgiae Infus: Scopum assecutu incertum, difficilem, aut impossibilem, vel aliàs etiam planè inutilena esse, sequentia impugnant, respicientia vel

Ægri personam rursus, considerati tum juxta

1. Speciem suam: *In Brutis facilius fieri*: vid. Dub. 18.

2. Partium situm & Conformationem:

{ 1. *Non turgere Venas in Homine*. vid. Dub. 19.

{ 2. *Etiam turgidas, attamen exiles esse*: vid. Dub. 20.

3. Mores externos, pendentes ex vitio vel

Corporis: *Ob Inquietudinem plerosq; Chirurgiam non admissuras*: vid. Dub. 21.

Animi: *Aliosob morositatem aut timiditatem eandem exosuros*
vid. Dub. 22.

Naturam interiorem: vid. Tab. VI.

Chirurgum: *Laborem administrationis huic multiplicari*: vid.
Dub. 30.

Liquorem infundendum: vid. Tab. VII.

TAB. VI.

Natura Ægri interior, prout difficile aut vanam reddere videtur Chirurgiam Infusoriam, spectatur tum

In Genere, Inferendo: *Natura non cooperante frustra esse omnia:* vid.
Dub. 23.

In Specie:

1. *Sine cooperatione Archei non exspectari debere novam in agonizante fermentationem, quia Spiritus fermentator absit:* vid. Dub. 24.

2. *Vel Spiritus qualescunq; residues altè prorsùs esse in Sanguine se-
pultos.* vid. Dub. 25.

3. *Si Fermentatio etiam fusciterit, hanc tamen non fore Morbo equa-
liter auferendo.* vid. Dub. 26.

4. *Vel, si morbus tollatur, hoc tamen fieri per accidens.* vid. Dub. 27.

5. *Idq; merè palliativè, quateng Mors paulò post sequatur:* vid. Dub. 28.

6. *Immò opinione celerius, & , antequam omnia administrari possint,
mortem quandoq; appropinquatram:* vid. Dub. 29.

TAB.

T A B. VII.

Cœterum, Ratione Liquoris, hæc Dubia sunt orta:

1. De Quidditate & indole ejus,

1. In Genere: Certum aliquem Liquorem non determinari. vid.
Dub. 31.

2. In Specie, quoad Illius tamen

Materiam

1. An Salinus, vel acidus esse debeat, dubitari. vid. Dub. 32.

2. Sigillatum magis; Nec, an Ammoniacalis esse debeat, certo
afferri. vid. Dub. 33.

3. Vel, An Tartareus? vid. Dub. 34.

4. Velpotius, an Opiatus? vid. Dub. 35.

5. Deque Opiatis mitius censendum esse: vd. Dub. 36.

6. An porrò Harmonicus cum pravo Miasmate Sanguinis esse
debeat, haud liquere: vid. Dub. 37.

α

β γ

a

B

γ

7. An verò Sulphureo, balsamicus. vid. Dub. 38.
8. Unum aliquem liquorem non sufficere, nisi sit Medicina Universalis: vid. Dub. 39.
9. Et confortativum summum. vid. Dub. 40.
2. Formam externam: Incertum esse, an debeat esse Aquadillata, vel Spiritus, &c. vid. Dub. 41.
3. Pondus: Incertum vel insufficiens pondus allegari. vid. Dub. 42.
2. Non admissum in Venâ, aut in eâdem facile diffusumiri: vid. Dub. 43.
3. Receptum etiam in Venâ, attamen Sphäram astringitatis non completere posse. vid. Dub. 44.
4. Immò ipsum potius patimutationem in Venis: vid. Dub. 45.
5. Vel non citius agere, quam Medicamentum alias per Os assumtum: Dub. 46.
6. Si etiam Diaphoretin actu exerceat, malum foropejus, cum usu Diaphoreticorum multi perierint: vid. Dub. 47.

T A B. VIII.

Hucusque Dubia, Thesi in Prædromo datæ militantia.
Sequuntur, quæ Hypothesibus quibusdam. Eæque Hypo-
theses respiciunt vel Doctrinam

Morborum, cum suis signis: ubi opponitur: *Pro Agonizantibus non
habendos, in quibus pulsus adhuc ut cunque confit. vid. Dub. 57.*

Causæ Morbificæ, & signorum Ejus:
vid. Tab. IX.

Symptomatum, cum Causis suis: *vid. Tab. X.*

Prognosticorum. *vid. Tab. XI.*

Methodi Medendi. *vid. ibidem.*

Remediorum. *vid. ibidem.*

TAB. IX.

Contra Hypotheses, Causam Morbificam, & Ejus Signa respicientes insurgitur tali pacto:

1. Rarissimè sanguinem in Venis Hominis vivi congelascere: vid. Dub. 58.
2. Sigillatim, In Peste fluidum potius esse. vid. Dub. 59.
3. Et tūm ibi, tūm alias, post Mortem demum congelascere: vid. Dub. 60.
4. Sanguinem verò potius citra sui congelascentiam mortaliter alterari posse quoad partes suas balsamicas. vid. Dub. 61.
5. Neg. ex congelascentiā sanguinis sequi Visciditatem ejus: vid. Dub. 62.
6. Sanguinem viscidum reddi etiam extra dictos casus: vid. Dub. 63.
7. Vel Visciditatem, que fiat à Miasmate pravo, accuratiùs explicandam esse: vid. Dub. 64.
8. Hujus verò non haberis signa manifesta: vid. Dub. 65.

TAB. X.

T A B. X.

Contra Hypotheses, symptomata cum Causis suis respi-
cientes, agitur scrupulis his:

1. Non Retrocedere Tumores in Morbis malignis, quod ab acredine con-
geletur sanguis: vid. Dub. 66.
2. Mirum alias non esse, si retrocedentibus tumoribus pejus habeant *Æ-*
gri: vid. Dub. 67.
3. Mirum verò, Agonizantes inquietos non habere sanguinem enormi-
ter concretum: vid. Dub. 68.
4. Sudorem prætere à non deficere ex Viscositate sanguinis: vid. Dub. 69.
5. Sed ex Obstructione Fibrarum: vid. Dub. 70.
6. Vel ex Defectu Laticis: vid. Dub. 71.
7. Negat sudorem esse propaginem sanguinis fermentantis: vid. Dub. 72.
8. Spectandum etiam, an Fermentatio deficiens à Venis sit, vel ab Arteri-
is? vid. Dub. 73.
9. Et planè, unde Motus sanguinis, naturalis, vel impeditus, delibera-
randum: vid. Dub. 74.
10. Causas, cur Agonizantes Medicamenta per os assumere nequeant,
non determinari: vid. Dub. 75.

TAB. XI.

Hypotheses denique in Prodromo date, quæcunque eārum impugnantur, respiciunt Doctrinam vel

Prognosticorum: e.g. *Frustra tentari opem in deploratis*; vid. Dub. 76.

Methodi medendi: e.g.

1. *Me Vene sectionem in Bubonibus pestilentialibus male prohibere*:
vid. Dub. 77.

2. *Non in omni sanguine congelato Chirurgiam Infusoriam convenire*: vid. Dub. 78.

3. *Immò me planè agere contra communem methodum medendi*: vid.
Dub. 79.

Remediorum: e.g.

1. *Medicamenta per os assumpta in Viis primis non inguinari*: vid.
Dub. 80.

2. *Bezoardicorum operationem non esse adeò tardam*: vid. Dub. 81.

3. *Multa agere per Irradiationem*, vid. Dub. 82.

4. *Spiritum Vitrioli dari Iyonoxium*, vid. Dub. 83.

V. DU-

• 6 (129) •

V.

DUBIORUM
huc usque recensitorum
ASSUMPTIO,
& Modesta
RESPONSIO
DE IISDEM.

PARSI.

R.

DUBI-

130
DUBIUM I.

*Chirurgiam Infusoriam minus accuratè sic
vocari.*

PRimum hoc Dubium benevolè mihi movetur à Primate Anatomicorum & Literaturæ omnis politioris, *Dno D Thomâ Bartbolino*, dum in Epistola sua suprà citatæ, § 14. sic ait: *Præclaro Invento minus propriam appellationem tribuis.* *Infusoria epim Chirurgia Cysteres includit, & syringas quascunque, quibus variis capitacibis medicamina immittuntur.* *Vellem, ut de alia voce cogitares.* Verbo: *Nimis latam vocis affectionem Vir Celeberrimus ibi arguit.*

RESPONSIORUM

Breviarium: *Nominis rebus imposita sunt, vel fortuitæ, § 1.*
vel consilio certo; olim ad aquatæ & accuratæ, § 2.
postea inadquate magis, & impropræ, § 3.
dum alia strictiora sunt rebus ipsis, § 4.
alialatiora, ut Chirurgia Infusoria vox, § 5.
pro qua Elsboltius Clysmaticam novam substituit. § 6.
Prior appellatio tamen ob causas aliquas retinetur. § 7.

§. 1.

Nomina rebus imposta sunt dupliciter, vel temerè, ut sic dicam, *λαθύχης* aut fortuitò; vel certo quodam consilio, *ἐν τρεπτισμοῖς*, certo instituto, eoque Divino, Angelico, aut Humano. Prioris ordinis sunt, quando vel nulla, vel non evidens ratio appellationis exstat, e. g. cur Lapis dicatur Lapis, cur Jūris vox nunc Justiciæ, nunc Offæ tribuatur, & quæ sunt reliqua; ad quam classem sanè vox Infusoriæ Chirurgiæ non pertinet.

§. 2. Poste-

§. 2. *Posterioris Ordinis* sunt, quando certa & evidens ratio impositi nominis dari potest, ita, ut quasi fluat ex perspectâ naturâ Rei, suffragante Hippocrate, circa init. libri de Arte, ubi ita ait: *τὰ μὲν γένη ὀνόματα φύσιος νομοθετήματα ἔστι* h. e. *nomina namq[ue] lege quadam nature sancta sunt*; quâ laude olim præ reliquis omnibus claruit Adamus in Paradiso, quippe qui Animalibus nomina imposuit juxta naturam eorum, quam optimè callebat, quamdiu in Statu Integritatis perfisteret: fuitque hæc Nominandi ratio citra controversiam optima, accuratisimaque, quia adæquatè cum re notatâ congruebat, nec suggerebat facile quid, quod esset vel speciale nimis, vel communæ etiam aliis: & sola nomina erant quædam quasi brevissimæ, & absolutissimæ rerum Definitiones.

§. 3. Hodiè verò vel planè non, vel non nisi in denotandis rebus aliquibus accidentariis, possumus consequi hanc onomathesias perfectionem, ob reatum peccati, quod mentibus nostris detraxit magnam partem Divinæ Imaginis & Sapientiæ antiquæ. Ubi, quâm fieri potest, duo hæc vitanda, tanquam signa *improprietas* evidentissimæ; partim, ne nomen aliquod minus, quâm par est, comprehendat, partim etiam, ne justò plus.

§. 4. *Strictiora vocabula* sunt, e. g. Geometria, Medicina, &c. quæ quidem catenæ bona sunt, quatenus consilio illata, & cum rebus, quas notant, utcunque congruunt: quia tamen Geometra non Terram solum, sed Ligna quoque & Saxa, sed Urbes & Maria, metitur; quia itidem Medicus non medetur solum, h. e. Sanitatem amissam restituit, sed præsentem eandem, quam fieri potest, quoque servat: ideoq[ue] vocabula talismodi merito *Improprietas* cuiuspiam arguuntur, ut vel reprobanda veniant, vel amplianda paululum, & in laxiore si-
gnifi-

gnificatu habenda, modò longiusculus etiā Temporis usus non nimium repugnet, qui vocum quasi Tyrannus est, & rectè *Veturamius* (in libello de Naturali Philos. p 17. & 18.) ait, *Verba tanquam numismata esse, que vulgi imaginem & principatum representent.*

§. 5. Idem penè judicium quoque sit de iis, que *Latiore* appellantur, h. e. quæ plus gerunt in fronte, quam gremio, quæ plus innuunt, quam comprehendunt. Quâ *Impropietatis* culpâ cumprimis teneri *Chirurgie Infusoria appellationem*, ingenuè fateor. Annon enim Clysteres quoque, & Syringæ, vulgariter notæ, trahuntur ad usus humanos, ope manus, in ipsâ Medicinâ? An non in iisdem fit alicujus liquoris tractatio per canalem aut fistulam convenientem, in Alvum, in Vesicam, in Muliebria, in Vulnera, in sinus profundiores, & abscessus? de quibus verò in Prodromo meo vix Syllaba tractatur, nisi obiter tantum, ubi ad pernegandam, si quæ mihi objiceretur, Inventi absurditatem, argumentum præter alia ab Injectionibus istic eomuniter notis, ipse pretii, & possibilitatem administrationis ex Analogiâ commendavi, sicut videre est in Prodromi dicti paragrapho 19.

§. 6. Ut hoc pacto me fortè magis laudandus veniat *C. D. Elsholzius*, Berolini Medicus Electoralis, Amicus honorandus, qui sive intemor Prodromi mei, à me anteà sibi missi, sive occupationum, aut aliarum rerum causâ, de illâ, vel ejus nomine, minus sollicitus, multò aptiore titulo totum istud negotium, à Se ad Experimenti incudem elegantissimè revocatum, inscripsit, & *Clysmaticam novam* appellavit, Anno 1665.

§. 7. Causæ tamen, cur equidem retineri aut tolerari posse censeam *Chirurgie Infusoria appellationem*, utut reipsâ justò latiorem, sunt haec potissimum: (1.) Semel ita nuncupa-

vi; & nominis ratio est in promtu. (2.) Titulo huic jam plerique passim in sphærâ literatorum assueti sunt. (3.) In scholis Medico - Philosophicis nihil frequentius est, quam ut voces aliquæ nunc paulò latiùs, quam juxta rigorem Etymi, nunc paulò strictius usurpentur, modò id fiat perpetim, aut sub certâ ad membrum quoddam oppositum contrâdistinctione. (4.) Insuper præcuntem habemus Hippocratem, cui Pharmaci vox aliquoties καὶ ἐξων pro medicamento purgante sigillatim accipitur, quia nihil frequentius erat antiquitus, quam helleborum, aut alia purgantia subministrare; id quod proinde Abderitanis fuit in animo, Hippocratem invitantibus, ut veniret, & delirantem, quem ita censebant, Democritum, helleboro purgaret. Immò hodiernum si Medicinæ Galenice purgantia sustuleris, nonne rapies è cœlo solem? unde planè Medicina vox in Italiâ à multis annis pro Pharmaco ap. Hippocratem dicto ad hunc usque diem accipitur; id quod in Latino textu Practicæ sive Canonice, aliquoties etiam facit Job. Michael Savanerola, patria Aponensis. Sicque, quia inter Chirurgicas Operationes quoque nulla frequentius instituitur Venæ sectione; phlebotomia, magna illa Inventi mei administrandi pars, per excellentiam quandam Chirurgia poterit & quali jure appellari, utut quā plurima alia quoq; sint, quæ Chirurgus in officinâ suâ tractet. (5.) Immò Exc. D. Horstius multò latiore adhuc vocabulo indulget, & planè Medicinam Infusoriam nominat hoc inventum meum, in Epistolico suo ad me judicio, superiùs allato §. 2. (6.) Et tandem Ipse, qui scrupulum præsentem mihi injecit, Celebratus simus D. Bartholinus, negotiolum hoc facile dirimit, dum eâ, quâ pollet, animi propensione, ait, §. 14. sua Epistolæ: Perinde est, quo nomine veniat, modò de re & rei utilitate conveniat, Hoc est, quod vulgo dicitur: In verbis simus faciles. &c.

DUBIUM II.

*Fatalem unicuique præstitutum esse vitæ Terminum, ejus
prolongatio proinde per Chirurgiam Infusoriam
non debeat tentari.*

SIC quidem non apertè contra me argumentatus est ullus Clar. Medicorum eorum, ex quorum Epistolis Dubia collegi: tectè tamen & blandius id fieri existimò, quippe vix aliorum collimant Ampliss. & Celeberrimi D. Tackii, verba, dum in Principio Epistolæ, judicio Horstij annexæ, §. 2. ita ait: Seriò meditantur Medici contra mortem remedia, & ecce morimur in dies: quasi dicat: Frustra tentantur remedia, si adsit vita. Terminus à DEO præstitutus, quippe id doceat quotidiana experientia. Et quām civiliter hoc dubium suppeditavit laudatus D. Tackius, tam liberè (ne quid vehementius dicam) & rotundo ore alii, iisque non Medici, (literatores tamen,) ausi sunt, ex adspecto tantum Prædromi mei titulæ, nescio cuius vel impietatis, vel temeritatis me arguere, quippe qui Fatales Agonizantium horas non dubitem, qualicunque Ingenio sufflaminare velle, & Arcana Consilia Numinis corrigeres quibus proin est respondendum.

RESPONSO,

Breviarium: *Autorum disquisitiones de Vita Termino fatali, §. 1.*
qui cautissimè definiendus. §. 2.

Fatum & Fatale unde dicantur? §. 3.

Fatumque latissimè quid? §. 4.

Alias difficultè definitur. §. 5.

De Facto quām male vulgus sentiat? §. 6.

quām male itidem Seicci senserint de eodem? §. 7.

Fatum

- Fatum Astrologicum quid? §. 8.
 quid item Physicum? §. 9.
 Fatum, & dies Fatales apud JCTOS. §. 10.
 Fatum Theologicum. §. 11.
De cuius immutabilitate jam queritur, & pro ea afferuntur. §. 12.
 partim rationes §. 13.
 partim Exemplum Anania. §. 14.
 partim testimonia, pricipue Divina. §. 15.
Sed Respondeatur (I.) in genere, à consequente Absurdo quadruplici. §. 16.
(II.) Sigillatim ad Rationem primam, §. 17.
cum distinctione in se Corruitudinem cum vel sine determinatione Temporis. §. 18.
Responso ad secundam rationem ex Laurembergio. §. 19.
Ad tertiam. §. 20.
Ad Exemplum Anania, §. 21.
& ad Testimonium ex Jobo, §. 22.
aliaque loca Biblia, cum distinctionibus, (1.) *de Immutabilitate reflectu Præscientie Divinae, & obiectorum.* §. 23.
(2.) de Præscientiâ DEI, diversâ ab Ejus voluntate. §. 24.
(3.) de Voluntate Ejusdem absolutâ & conditionatâ. §. 25.
(4.) de eadem Antecedente, & consequente. §. 26.
(5.) De distinctio volendi modis, cum aliud sit, severè & absolute, aliud fine Rigore velle. §. 27.
Quæstio obiter incidens. cur Deg concescerit Homini Arbitrii libertatem. §. 28.
Aliud deinde, Nolle, aliud Non-velle. §. 29.
Itaque mutabilis potius est vita terminus; §. 30.
Et sigillatim quidem, accelerari ipsum posse, patet Exemplis, §. 31.
accedente testimonio divino. §. 32.
ac prolongari, liquet ex ratione, §. 33.
Exemplis, §. 34.
Et consensu Biblico, §. 35.
Summa dictorum. §. 36.
Conditiones, ad Vitam prolongandam facientes, §. 37.
& media. §. 28.
Totum negotium verbis Lipsii finitur. §. 39. §. 1. De

DE Vite Termino gravissimæ extant Clarorum Virorum Disputationes, an scil. is usque ad eō Fatalis sit, ut mutari, h. c. vel accelerari ullâ hominum culpâ, vel prolongari ullâ corundem industriâ aut Ingenio non possit; & quo pacto Præscientia Majestatis Divinæ conveniat cum Libero arbitrio Humano? Quæ cura sanè præ multis aliis *Johannem Beverovicium*, Senatorem & Medicum Dordracenum, cum primis habuit solicitorum, ut propterea magno labore ac studio Epistola Eruditorum Judicia hinc inde convasarit, collegeritque eorum egregiam seriem, tertium editam in Belgio, eurrentis Seculi anno LI. quibus *Anne Schurmannie*, Puellæ doctissimæ, Sententiam quoque videoas annexam. Ejusdem Beverovicis instinctu cæteroquin Clarissimus Ebraeus, *Menasseh Ben Israël*, de eâdem materiâ ipsos libellos tres conscripsit, lectu dignos, in quibus veterum Rabbinorum & Recentiorum Doctorum sententias expendit; ut taceam, quæ tractant Autores alii.

§. 2. Et hoc pacto viderer actum agere, si serram conventionis istius ducere huc, & non sine tædio forsitan Lectoris, reciprocare velim; nisi econtrario id efflagitaret præsentis Dubii ratio, contra Chirurgiam Iufusoriam prolati: cui Dubio proin ut eâ, quæ decet, animi moderatione obveniatur, in tantipræsertim momenti negocio. tota breviter res ab Ovo, quod dicitur, est exordienda, & cautè ubivis procedendum, ne præcipitatio facilem illum pariat errorem.

§. 3. Appellatur itaque Vitæ Terminus Fatalis à Fato: **Fatum** autem à fando nomen habet; unde **Fatalia** dicuntur, quæ quasi juxta effatum aut sententiam cause qualiscunque directricis in Mundo accidunt. *Gentilium more si loqui visum,* (exstat in Etymologico Vossi pag. 207.) **Fatum dictum**, quia illud

Iud Jupiter sic fatus Parcis, que voluntatem ejus aeneis inscripsere tabulis: sive, quia id Parcae sint fate. Immò Parcas ipsas Fati nomine insignitas, &, cur eadem Noctis Filiae habitæ sint, vide plusculis apud Boccatum, lib. i. Geneal. deorum, cap. 5.

§. 4. Nos rectius hodie, & pro scopo hujs Tractatus, *Fatum vocamus id, quod DEUS quasi de vita nostræ Termino sic fatus, ita tamen, ut non excludatur etiam Ordo, qui habetur in causis inferioribus, effectus suos inferentibus, provisus & praordinatus à DEO, vel certè præcognitus ab eodem, & perfectissimè prævisus, siquidem nihil in totâ Rerum Natura sit, quod Oculos ejus fugiat, suffragante quam eleganter Boëthio, qui sic lib. 5. d. Consol. Phil. metr. 2. canit:*

*Uno mentis cernit initia
Quæ sint, quæ fuerint, veniantq.,
Quom, quia respicit omnia solus,
Verum possit dicere Solem.*

ac Ægyptii, penes gentiles pro Sapientissimis habiti, notante Camerario (part. 2. hor. succis. cap. 8. p. m. 43.) non aliâ causâ in suis Hieroglyphicis DEUM per figuram Oculi commoustrare voluerunt, eumque Mundi Oculum, Patrem Luminum, à Jacobo nuncupatum, formositate suâ omnia transcendere, crediderunt, omniaque gubernare.

§. 5. Aliàs *Fatum* difficillimè definitur, ob abstrusam, ejus vim, ob multiplicatatem objectorum, & maxime discrepantes de eo, Hominum sententias, quæ verò ad certa capita reduci possunt, in quæ *Fatum* commodâ methodo distribuitur, si non ut *Genus in species*, attamen ut æquivocum in æquivocata: nam alio modo Fati conditiones capit *vulgaris*, alio modo capiebant olim *Stoici*, & aliter hodienum de eo statuunt *Mathematici & Physici*, aliter *Jœti*, aliter denique in *Cathedris suis Theologi*.

S. 6. *Vulgaris de Fato Opinio, & modus loquendi est hic,*
ut Fortuiti casus, qui inopinantibus accidunt, sive fausti, sive
principiū infausti, & sive præcaveri iidem potuissent, ut sæ-
pius accidit, sive minus, indifferenter dicantur Fato quo-
dam, & irrefragabili rerum ordine accidisse, cum potius
culpa eventus in propriâ hominum vel incuriâ vel temeritate
sæpissimè sita sit, juxta tritum illud: Qui amat periculum, peri-
bit in eo. Item: Quilibet est Fortuna sue faber. Nolunt vide-
licet admissæ qualiscunque stultiæ teneri: atque, submergi-
tur natator aliquis, & aquis suffocatur? hoc Fato tribuitur.
Occidit in duello pugil, & ferro transfoditur, cuius ictum non
satis eludebat? id identidem Fato factum fuisse communis ple-
bejarum mentium querela est. Stultissimi mortales, undis,
duello, periculis aliis vos sponte adeò non credite, nullo certè
trahemini ad illa Fato.

S. 7. Sed de eo Stoici adhuc absurdius censebant, *ad yun*
adeò horribilem fingentes, & rerū Necessitatem irrefragabilem,
ex constellatione qualicunque, & indissolubili causarum nexu
ortam, ut ad eam non humana solum, & quæcunque accidunt
in Naturâ, sed ipse etiam DEUS, ejusque consilia, compelle-
rentur, suffragante expressè Seneca, cæteroquin sapientissimo,
in illo, in quo minimè debebat, libello de Providentiâ, ubi ita
ait: Eadem Necessitas & deos alligat. Irrevocabilius humana ac divi-
na pariter cursus vebit. Ille ipse omnium conditor ac Reètor scripsit
quidem Fata, sed sequitur: semper paret, semel jusit. Quibus pla-
nè consonum est illud alterius Seneca, Poëtæ Tragici, dum is in
Oedipo speciosè magis, quam piè sic canit, vers. 980. seq:

Fatis agimus, cedite Fatis.

Non solicita possunt cure

Mutare rati stamina fusi.

Quic-

Quicquid patimur mortale genus,

*Quicquid facimus, venit ex alto: (ex constellatione vide-
licet, juxta Stoicos.)*

Servatque sua decreta colus

Lachesis: Durâre voluta manu

Omnia certo tramite vadunt:

Primusque dies dedit extremum,

Non illa DEO vertisse licet;

Quæ noxa suis currunt causis:

It cunque ratus, prece non ullâ

Mobilis ordo. ————— Plura de Fato Stoico, nisi displicet, vide apud A. Gellium lib. 6. cap. 2. sed & attende, quæ de eadem re nervosè ac piè judicat Clar. Job. Sperlingius Institution. Physic. p.m. 296. sic dicens: *Stultum hoc brutumq; est. Deum enim facit non Deum & hominem non hominem.* Nam Stoici omnia inevitabilis necessitate evenire putarunt, & ita quidem, ut nec DEUS ipse potuerit res aliter condidisse, quam condidit, nec aliter gubernare, quam gubernat, & è rebus sic conditis & gubernatis non posse effectus alios prodire, quam prodeunt. Id quod sanè impium est, & blasphemum.

§. 8. Ad Fatum Astrologicum porrò quod attinet, quod Chaldaicum alias appellatur, quia Chaldaei antiquitùs insignes erant Astrologi, denotat talem rerum ordinem, quo Contingentia varii generis, & actiones mundanæ influxibus Siderum subjacent. Quibus rebus si actiones hominum quoque addideris, quæ alias liberæ vocantur, ad damnabile Fatum Stoicum accedes, Arbitrium omne tolles, DEUMque Autorem peccati impiè facies, quippe qui talia sidera fecerit, quæ ad malè agendum quamplurimos vel inclinent, vel planè etiam cogant. Si verò restringas potius ad Corporalia, & ad phœnomena qualiacunque, in sphærâ Naturæ Elementari; eorum ge-

nesin rectè dices *Fato Astrologico* procedere, h. e. ex firmamentali siderum impressu; sed tanquam à causâ universalis. Causæ verò universales effecti speciem non determinant, sed mediante particulari constituunt & producunt. Unde intactâ hâc, in illis non est acquiescendum. *Fato hoc sidero* communiter accidunt Dies & Nox, diluculum & crepusculum, Eclipses Solares & Lunares, Novilunia, Plenilunia, Ver, Æstas, Autumnus, Hyems, Tranquillitas, Tempestates, Nives, Pluviae, Venti: inchoamenta item, & augmenta Mineralium, Animalium, Plantarum, multaque alia, mirificè & sapienter connecta cum Stellis à Creatore; ipsa denique etiam constitutio corporis Humani & Temperies, quam certo modo quædam Animi pathemata sequuntur, aut proclivitas major in his ad iram, ad venarem, ad luxum, in aliis contrà ad mansuetudinem, ad abstinentiam, ad sobrietatem. Unde Thema Genethliacum quidem catenùs tolerabile est, quod ex consensu vel dissensu siderum à Mathematicis attenditur, quatenus scilicet suave quoddam commercium Corporis & Animæ ostendit; scripsitque Galenus de Temperamentis libros tres, & seorsim libellum alium. Quod Animi vires, Corporis Temperiem sequantur: sed sedulè cavendum, ne prætextu hoc nobilior nostri pars Imperio Carnis subjugetur, & Spiritus entheus, qui Rectoris officium meritò obtinet, olim ab ipso Numine nobis implantatus, relictusque proprio suo, vel bene, vel male agendi, arbitrio, dicatur mancipium corporis, & fieri in quibusdam subjectis, Natura quasi, & *Fato sidero*, Iudicium Spiritus Infernalis. Probèque distinguendum est inter actionem siderum directam, quæ exemplis jamjam allatis abundè declarata est; & indirectam, quâ animam nostram, mediante organicâ corporis constitutione afficiunt; ubi tamen perturbatio-

bationibus animi sapientem deceat, rectâ Ratione obviâm'venire: sicut cùm calore Solis quis ad bibendum inclinatur, nulla tamen bibendi necessitas est; nam & Socrates sapissimè à palestrâ sudans, nunquam de primo Cratere bibit, sed sum plerumque, præsente quamvis bibendi materia, generosâ tam tolerantia subegit. De Morbis astralibus vide Job, Paulum Gallucium, lib. 3. Theatr. Mundi & Temporis, cap. 6. & plerosque Autores, quicunque in Medicinâ sive de Causis Morborum, (& Pestis præcipue) sive de Diebus etiam Criticis, & tempestivâ Medicamentorum simplicium collectione, aliquid scripsierunt. De Astrologiâ verò Divinatrice, Epistola D. Thome Enazi, Anno 1580. Basilez impressæ, merentur legi; quibus novissimè adde, quæ habet Marcus Aurel. Severinus, in epistolâ ad Timæum Locrensem, quæ exstat in Progymnastr. Physic. Tb. Corn. Consentini, p. 459. seq.

§. 9. Cæterum sicut Fatum Astrologicum vel Chaldaicum modò descriptum involvebat connexum Stellarum cum effectibus naturalibus Geocosmi: ita Fatum Physicum in genere notat processum aut ordinem rerum tam Animatarum, quam vitâ parentium, à Naturalibus suis (qualibuscumque etiam, nec tantum sidereis) causis promanantem, subordinatumque Naturæ Autori DEO. Vel paulò brevius, verbis Lippii lib. 1. de Constant. c. 13: est Ordo causarum Naturalium, que (nisi impedianter) vi naturâ suâ certum eundemq; producent effectum. Hoc Facto oriuntur & occidunt omnia in Regno Mistorū, & tam intra, quam extra illud fiunt frigora, fiunt aestus, Meteora & Thermæ circa globi Terreni corticem erumpunt, Metalla in subterraneis liquantur, vel foris etiam magis formantur miræ spè, & ob varietatem vix satis enumerabiles figure lapidum; planct statim anni Temporibus propullulant, crescunt, germinant,

nant, florent, & fructum ferunt, animalia generantur, au-
gmentum capiunt, moveantur, operantur: & Homo denique,
Animalium princeps, & Mundi visibilis summus splendor, sed
ob peccatum Mortalitatis reus, transactis qualibuscumque A-
etatum gradibus, balsamoque nativo Corporis sui sensim ac sen-
sim exspirante, per easdem, quibus Scenam Mundanam ad-
scendit, scalas, iterum descendit, & naturaliter ad finem vita-
fertur.

§. io. Utuntur præterea *Jurisconsulti* quodque interdum
Fati Nominē; sed rem prorsus diversam à scopo præsentis Du-
bii comprehendunt, nisi velis dicere, *Fatu Juridico* illum Mori,
qui ad Mortem in Judicio damnatus, capitali supplicio afficia-
tur, ad quod agendum Magistratus certum aliquem diem de-
cernere assoler. Alias, & magis Canonice quidem, *Fatales*
Dies Ictis vocantur Tempora, peragendis Appellationibus
(ut & Actibus aliis Judicialibus) præstituta. Atque seorsim
ad Appellantum quatuor dies *Fatales* antiquitus concedeban-
tur, docente *Calvino* in Lexico Juris, quorum primus erat,
spacium sex mensium secundus, tertius, & quartus, triginta
& unius Dierum. Hodie, nō fallor, alia ratio *Fatalium dierum*
est: Vocanturque *Fatales*, quia in eis Fatum, h. c. decretum,
Sententia, vel Terminus, & quædam quasi Mors, causæ impo-
nitur; de quâ re non est, ut pluribus hic agamus.

§. ii. De *Fate Theologico* itaque supereft dicendum: Quod,
quoniam Majestate suā reliquis omnibus, huc usque enumera-
tis præponderat, in præsenti discursu notanter inculcamus.
Aeternum nempe DEI Consilium, quo Is erga eventus rerum
in Naturā, à se potentissime creatū fertur, consistens in præ-
sciendo omnia, & gubernando, & in iis quædam vel iubendo
ac determinando, quædam permittendo, propterea arcane
ejus

ejus Consilio visum est, hec aut illa hoc aut alio modo ac tempore fieri aut non fieri à causis secundis, quæ hodie præsertim non excluduntur, quibusq; propterea, jam à Mundi origine, Naturalis impressit Potentiaz characterem, ut ad producendos effectus, indoli suæ congruos, aptæ natæ sint; aliquibus etiam, (puta Hominibus) quoddam Arbitrium insuper adjecit, bonum aut malum proprio ipsorum Commodo vel damno, eligendi vel repudiandi.

§. 12. Et sic jam status Controversiæ facile formatur; an scil. Vita Terminus sit adeò Fatalis, h. e. adeò firmiter à DEO opt. max. jam arte Mundi primordia præstitutus, ut is nulla ratione mutari, extendi videlicet, vel abbreviari, possit? pro cuius Sententiaz rigore nonnulli stant, Rationibus quibusdam, Experimento, & Testimonio (principiè Divino) ducti.

§. 13. Rationes eminentiores sunt haec: (I.) Quodcumque Necessarium est, illud mutari nequit. Mortis hora est Necessaria, tam ex ordine Naturæ, quam Mista quævis sensim ac sensim ad resolutionem sui tendunt; quam ex Decreto & voluntate DEI, peccata vindicantis: Unde quia Naturæ ordo ita fert, & DEUS justissimus pœnæ Temporalis loco Morbos ac Mortem hominibus obvenire voluit; necessario quoque indies morimur, languemus, & irrefragabiliter ad Terminum nostrum imus. Ergo, inquam, Mortis hora est immutabilis. (II.) Quodcumque DEUS hominibus immisit, ut ipsorum vel malitiam castiget, vel fidem etiam explores, illud Immutabile est. Morbos, ac ipsum Vita terminum DEUS hominibus tali ratione immisit. Ergo Vita Terminus immutabilis est; frustraque forte medelam tentabimus, quia IPSE, cum sibi visum fuerit, poterit sanare. (III.) Multi Morbi à Medico non curantur: guidam Ægri vicissim absque

absque Medici ope incolumes evadunt: ergo mutatio Termini Vitæ vel nulla est, vel non est in nostrâ manu.

§. 14. *Experimenti verò instar ex cap. 28. Jeremiæ vers. 16. afferunt exemplum Ananiz, quippe qui mortuus sit, quia Deus, sic statuerit.*

§. 15. *Et Testimonio denique utuntur partim Humano, apud Virgilium lib. 4. Æn. v. 340:*

Me, si Fata meū paterentur ducere vitam

Auspiciis, & sponte meā componere curas, &c. ut Reformatorum, inter Christianos, suffragia præpemodum unanimia non addam: partim, ac præcipue Divino, ex cap. 3. Ecclesiastæ, v. 1. & 2: Omnia habent Tempus & Horam sub Cœlo; Est hora nascendi, Hora moriendi: maximè omnium verò ex celebri illo & memorabili loco Jobi, cap. 14. v. 5. ubi notanter dicitur: Nonne Hominis dies sunt definiti? numerus Mensum annos est penes Te? Nonne determinationes ejus fecisti, quas non transgredietur? Trahuntq; in eandem rem illud Geneseos 47. v. 29. Exod. 23 v. 26. Deuteronomio 31. v. 14. 1. Samuel. 25. v. 38. 2. Sam. 7. v. 12. 1. Reg. 2. v. 1. Psal. 37. v. 18. & 39. v. 5. Proverb. 3. v. 16. Ecclesiastic. 14. v. 12. Hebr. 9. v. 27. atque ex his & similibus S. Scripturæ dictis irrefragabilem quandam, immutabilemque Mortis Humanæ Horam nectunt.

§. 16. *Sed Respondetur (I.) In genere: si adeò immutabilis statuendus esset vitæ Terminus, ut nec accelerandi ejus, nec extendendi vis superesset, haut' parva inde Absurda sequentur. Nam (I.) hoc pacto nullâ Medicinâ, nullisq; aliis vivendi mediis opus foret: frustra precibus penes Deum pro Salute nostra, & Charissimorum nostrorum Affectuum, intercederemus; frustra in Republ. forent Pistores, Sartores, Zythopolæ, Opifices & Architecti: frustra omnis Agricolarum;*

Oli-

Olitorum, & Pastorum opera: possentque homines, præcipue quibus DEUS præstribuslet vitæ terminum quam longissimum, simpliciter abstinere à cibo, & potu, & nullis offensi cœli injuriis, impunè negligenter studium victus & amictus, (ad quod tamen tot quotidie sumtibus ferimur) quia, quiequid agerent, si gladio etiam pectus transfoderent, aut septem Veneni pocula haurirent, non possent prius mori, quam mori statutum esset, & inter Securitatum illecebras per meram gratiam DEI servarentur. Id quod verò è diametro obviam it Ordini Naturæ, bonis moribus, & Gubernationi DEI, quæ is per media hodie nobiscum agit, in tantâ Verbi sui Luce miraculis vix amplius utitur, & imprimis ægrè fert, si concessis generi nostro vivendi mediis male utamur, vel oscitanter eadem proculcare aut negligere velimus. (2.) Idem DEUS Sanctissimus ipse in operibus suis sibi contrariaretur, figendo nempe Hominibus ab Æterno certum aliquem & immutabilem Vitæ terminum, & semel fixum tamen, in subjectis aliquibus abripiendo ante tempus, vel accelerando, in aliis prolongando; sicut ejus rei exempla infra proponentur. (3.) Immò planè reus habetur, quasi qui autocheirias & Latrocinia non improbaret. Si enim quilibet Homo ex statuto æterno ac irrefragabili moritur, quando moritur, etiamsi nullæ causæ præcesseriat Mortis naturalis; non potest non sequi, sigillatim Mortes Violentas, sive sponte per venenum aliquod, submersionem in Aquis, iustum Sclopeti aut gladii, &c. sive Latronum ac Homicidarum manibus illatas, ex arcane & stato DEI Consilio profluxisse, nec debuisse vitarihas, quoniam ab æterno sic decretum fuerit, ut homo, quantumvis optimè valens, hac tamen aliquâ horâ moriatur: quæ Opinio profecto non Absurda amplius faret, sed abominabilis & execranda. Ac (4.) denique sic

etiam omnis libertas, omne arbitrium humanum, bonum vel eligendi, vel repudiandi, è medio tolleretur, fixaque Fatis nostris mancipia hæreremus, ac Clavus aliquis in rotâ.

§. 17. (II.) Sigillatim ad antea datas Rationes, ut respondeatur, quarum prima erat, *Vite Terminum ideo immutabilem esse, quia necessariò, h. e. ex ordine naturæ, & reatu peccati, Hc- minibus supervenit, notandum, Naturâ quidem omnes nos ferri, immo trahi, ac prinos ruere ad Resolutionem nostri, cui præcipue Morbi viam parant, nisi ipsa Senectus Morbus dicendus sit, quam *Patreclus apud Stobæum* (eitante *Carolo Emmanuele Vizzanio*, commentar. in *Ocellum Lucanum*, pag. m. 85.) elegantissimè τὰ βία χειμῶνα Vitæ Hyemem, vocavit: inde tamen non sequitur, quod ingruente quovis morbo, Mors ipsa statim in procinctu sit, quia, (verbis Laurembergii, cap. 4. porticus Aesculapii, pag. 19. b.) multi sunt Morbi, qui non ferunt secum Totius corruptionem, qui nullis argumentis signisque indicinam faciunt, instantis, ultimi interitus. Hic num non stultitia foret, negligere media recuperanda valetudinis, & restituendi in integrum Corporis, quod adhuc procul abest à Corruptione? Quam curam si insuper habcas, fortean serpet malum ulterius, & Janua aperietur totali interitu, quem ante de facilis potuisse avertere.*

§. 18. Et probè distinguendum inter Certitudinem, quæ est cum determinatione Temporis, quæ aliquid fieri debeat; & inter Certitudinem sine eâ: h. e. quæ indifferenter se habet ad Tempus, modò res ipsa infallibiliter (quandounque etiam) eveniat: quarum Certitudinum utramq; verò DEUS præscit, & potentissimâ suâ manu (non exclusis tamen causis secundis) dirigit. Lauremburgius modò laudatus (p. 18. b.) priorem istam alio nomine vocat *Necessitatem Coactionis*, quæ ad certum aliquod Tem-

Tēpus restricta, neganda; alteram *Consequentia*, seu malis dicere;
 Eventūs, vel clariūs, mortem necessariō aliquando Homines op-
 pressuram; quam, quis tām amens, aut insensatus Mundi & Exē-
 plorum, totā die occurrentium, spectatōr est, ut negare ausit?
 Postquam enim Adamus per inobedientiam primam immani-
 saltu lapsus est de throno Immortalitatis in barathrum & sub ju-
 gum Mortis, quæ Mors pœnæ instar irrogata à Deo Hominibus
 est, exceptis paucissimis, qui vivi & spirantes, modoq; planè ex-
 traordinario, hanc Vanitatis mundanæ Scenam deseruerunt;
 non potest hodiè nisi ex præscientiâ & Arbitrio Divino, fieri,
 ut letho rapiamur, qualicunq; etiam Tempore, Senes, Viri
 Juvenes, pueri, Infantuli, Embryones; & qualicunque modo.
 juxta Statutum Poëtam, gentilem quantumlibet, dum (lib. 2.
Sylv. i. v. 213.) elegantissimè tamen sic canit:

— *Hos Bella, hos Aequora poscunt:*

His Amor exitio: Furor his, his feda cupido:

Ut fileam Morbos. Hos Ora rigantia Brume,

Ilos implacido letalis Sirius igni,

Hos manet imbrisero pallens Autumnus biatu.

Quicquid habent ortus, finem timet: ibimus omnes,

Ibimus. — — Ut bullæ, quas pueri ex Smegmate ir-

Aquā resoluto, per calatum stramineum faciunt, non o-
 mnes eādem altitudine aērem permeant, nec puritate eadem
 gaudent: Sic homines quoque, bullæ simillimos, bene aut se-
 cūs valentes, hoc vel illo mortis genere ac horā Fatum abri-
 pit, nec quisquam, si ita loqui liceat, Di vos adeò habuit faven-
 tes, Craftinum ut posset sibi polliceri: ingeminandumque i-
 dentidem cum Statio: (l. d. v. 223.)

— — — *Nos anxia plebes,*

Nos miseri, quibus, unde dies suprema, quis ari-

Exitus, incertum, quibus inflet fulmen ab astris;

Qua Nubes Fatale sōnent. — Et hinc Fatum sēpissimē
pro ipsā Morte aut interitu Hōminum accipitur, tām à Poētis,
quām Oratoribus etiam.

§. 19. (III) *Ad secundam Rationem*, paulò superiūs (§. 13.)
adductam, respondeatur, verbis Laurembergii identidem, (pag.
19. b.) *DEUS vult nos agrotare: at idem vult, nos iterum sanari,*
non miraculosè, sed per media, i.e. Medicamenta, que nasci voluit ē
Terrā. *Ab illo est Morbus; sed ab illo item est Medicina, Eccles. cap.*
38. *Et sapiens non abborrebit ab ea.* *Nemo, nisi tentatus DEUM,*
expectat se sanatumiri sine mediis, respiciens ea, que huic fini ordina-
rat Divina Benignitas. *Quidni idem eadē superstitione dicat, se*
nec esurum, nec bibitum? quia, si volet DEUS, etiam citra cibos
eum servatum veniet in vitā. *Stultitia hec quidem est, vel potius im-*
piatem erit. *Siqua domus incendio flagret, & adfret, qui prohibe-*
at affundi aquam, clamitans, si DEUS voluerit, extinctum iri l-
gnem, & domum iri liberatum à Vulcani violentiā absq; aquā & homi-
nūm suppetis: bujusmodi hominem sani omnes dignum judicabunt,
qui ad Anticyras mittatur, ut caput illi expurgeetur jugero Ellebori.

§. 20. (IV.) *Ad Tertiam: Multos Morbos à Medico non curari;*
quosdam Egrós vicissim absque Medico ope convalescere, & per Con-
sequens, mutationem Termini Fatalis in nostrā positam non
esse manu; respondeatur, (I.) quantum ad prius membrum hu-
jus scrupuli: Finis Medicinæ non absolutus, sed conditionatus
est. Hoc est: Medico non incumbit, omnes sanare, sed illos, quo-
rūm Natura non repugnat. Neque enim Rhetor semper, cum
vult, persuadet; sed, præter artes proprias & elegantiam ver-
borum, opus imprimis Auditorum habet animis morigeris. *Et sic causæ, cur morbi quandoque non curentur, plusculæ*
sunt, quæ certè non omnes à culpā Medici dependent. Hippo-
crates

erates aphorismorum primo statim hoc innuit, οὐδὲ τὸν νοτίον τοις παγέοντας, οὐδὲ τὸ ἔξοφεν, & Αέρum, atque Adstantes, resque Extrinsecas, ritè comparatas esse debere, admonet. Iis ipsis velut multa continentur, sūst exposita ab Autoribus aliis, ita si in uno eorum præcipuus aliquis error committatur, quid mirum, si Medicus scopum suum non æquèferiat, etiam si reliqua omnia sat dextrè adhibuerit? Itaque non sequitur, quoniam eventus desiderabilis interdum non adspirat, ergo planè utendum non esse Medicinā. (2.) Deinde, quoad posterius, quosdam absque Medico sanari; ad hoc jam dudum, quem modò laudavi, Hippocrates respondit, sensu hoc: Eo ipso, quo sponte convalescentes quidam vel monitis Medici obtemperarunt, vel taliter se gesserunt, ut juxta Regulas Artis cæteroquin à Medicis disertè sanctitas, vixerint, sine Medicis quidem, sed non sine Medicinā, convaluerunt. Confer *Autoris libellum d. Arte.*

§. 21. (V.) Cæteroquin Argumentum, quod superiùs, (§. 14.) ab Anania Exemplo petebatur, facilè seipsum diluit, si modò antecedentia ejusdem capituli, immò ipse versiculus 16. integer, cum allegato Biblico Textu ritè conferantur, quandoquidem ibi describuntur peccata Anania, & eorum culpā dicuntur, quod DOMINUS Ipsum voluerit Morte mori: evidenterissimo arguento, circa Terminum Vitæ Fatalem, mobilem an immobilem, distinguendum oppidò esse inter voluntatem DEI absolutam & conditionatam; quam distinctionem mox mox (§. 25.) unà cum aliis, ex professo, quod dicitur, adducemus.

§. 22. (VI.) Interim, neque in Testimoniis, §. 15. allatis tantum inest, quantum inesse creditur, probandi robur, excepto fortassis Jobi loco, cuius genuina explicatio certè (quod vel fateantur nostri Theologi) difficultate sua non caret, quamdiu

inter illos & Reformatos in arduo Prædestinationis Articulo
controvertitur. Attamen Nicolaum de Lyra audiamus, qui seru-
pulum istum sic enodat (Commentar. in hunc locum:) Con-
stitutio, inquit, Terminis istius dupliciter intelligi potest: uno modo,
prout est in Ordinatione Divina: Et sic termini Vite præteriri non pos-
sunt anticipando vel differendo, quia ejus Providentia est infallibilis:
alio modo, ut est in Effectu exteriori, in quantum ex Naturalibus cau-
sis est periodus certa Vite Hominis, Et in aliquibus major & minor, se-
cundum varietatem complexionis: Et secundum hoc Termini Vite pos-
sunt anticipari per malum regimen, gladium, vel aliam occasionem.
Secundum varietatem complexionis ait laudatus Autor. Qui
bus verbis quid poterat dici aptius? Ut tamen evadant clario-
ra, atque, ut tanto magis pateat, quantopere non solum
Mors, sed certa etiam ejus hora, non præsciatur solum perfe-
ctissimè à DEO, sed potentissimè etiam ac sapientissimè gu-
vernatur, & quasi determinetur, ita tamen, ut intervenienti-
bus causis secundis hæc nihilominus mutari possit, salvâ haut
raro directionis suæ Majestate; hanc libet afferre similitudi-
nem, à nemine acceptam, sed nec absurdì quid facile involven-
tem: Quemadmodum Artifex aliquis, facto Automato, cuius
usus quotidianus alieni esse debeat, non quidem perfectè scit,
quot Annos, quot Dies, ac Horas, aut quot Horarum Minuta,
officio suo functura sit ista Machina à se confecta, quo minus ex
iterata indies funiculi circa Rotam majorem convolutione,
& tractu appensi Ponderis, Rota modò dicta, & reliquæ mino-
res, adeò conterantur, ut totum denique opus ad mensuran-
dum tempus reddatur inhabile, id quod Artifex plerumq; de-
terminare nequit, ob imbecillitatem ingenii humani, quo nu-
merare non potest particulas, magnitudine atomorum imper-
ceptibiliter per singula momenta motuum ferramentis, culpa
attritio.

attritionis perpetuæ, abscedentes: ex perspecta tamen ferris or-
litudine, firmitudine fumis, & gravitate ponderis, singulorum
item longitudine, conformatione, crassitie, ac latitudine (ut-
pote quorum omnium tractatio ac coaptandi modus unicè
conficit in sua manu) verisimiliter scit, & præfigere potest, Au-
tomati alicujus usum, per Naturam suam, L. Annos minimum
duraturum, nisi cause externe lalentis intercesserint; alterius
econtra, forsitan tenerioris, & mutationibus, rubigini, attritioni,
fragilitati, &c. magis obnoxia, usum non æquè diu: immo
quædam Anatomata præcisè ad certos Annos directa sunt: &
quemadmodum idem Artifex plerumque non impedit inter-
ventum causarum lalentium, etiamsi non intercessisse has o-
ptasset, ut scilicet horologium legitimè moveri potuisset usq;
ad metam Conditionis suæ ultimam, ex naturâ & aptitudine
junctarum partium promanantem: ita Deus tēr opt. maximus,
qui Adamum primū ex limo Terræ in Paradiso, Eam ex costâ
Adami mirabiliter produxit, (Genes. 2.) & horum posterorū ad
hunc usque diem ex Semine Virili & Sanguine, (ad palpabilem
sui Imaginem) concrescere voluit, (Sapient. 7.v.2.) eo ipso, quo
Elementa, ac Miscibilia reliqua, ad constitutionem corporis
Humani, in his Individuis hoc aliquo ordine, pondere, nume-
ro, ac mensurâ, in aliis alio, fecit concurrere & diversimodè sibi
implicari; quam constitutionum diversitatem necessario quo-
que sequitur diversitas Temperamentorum, Longævitatis, In-
dolis, ac Operationum: eo ipso, inquam, non prævidet solum
persuam Omniscentiam, quandiu aliquis vixturus, vel quan-
do moritus sit, pilosquæ capitis numeravit, (Matth. 10. v. 30.)
& Naturæ, à se creatæ, vel Minima ad unguem habet cognitissi-
ma: sed per Omnipotentiam quoque, & sapientissimam ordi-
nationem has ipsas Vitæ humanaæ metas collocat, & ab æterno
deter-

Determinat, ut aliae non esse possint, quamquam quae Naturaliter ex distinctâ Materiæ conditione sint processuræ, nisi vel per acci-
dens mutantes aliquæ causæ intervenierint, vitæ Terminum
accelerantes, vel Ipse interdum ex justâ vindictâ paulò citius
hominem Mūndo abstraheret, vele contra etiam, ex peculiari
quadam gratiâ, piè præsertim invocatus, novas vires, ne vos
spiritus alicui infundere, Medicamentis selectioribus, ad Vitæ
prolongationem artificialiter paratis, benedicere, & sic me-
diante Medico, attritas, ut sic dixerim, Vitæ Humanæ (tanquam
Horologij) Rotas, termino jam proximas, sed antequam penitus
decurrant, resarcire hinc inde, motuique ulteriori habiles red-
dere, in Mente suâ benignissimâ, & arcanis consiliis haberet;
sicut ejus rei documenta abundè prostant in sacris, dum San-
itatem, Longævitatemque Hominibus toleranter indulxit,
(Matth. 9. v. 12.) eandemque promittit loco præmii, iis, qui Le-
gem Ipsius non fuerint transgressi (Deuteron. 4. v. 40.) immo-
re capite haut semel est largitus, e. g. Calebo, (Siracid. 46. v. 11.)
Paralytico, Muto, Surdo, Leprosis, ac aliis in novo Testamento;
aut alias ac etiamnum, Sterilitatem à Fidelibus suis, (Psalms. 68.
v. 7. Psal. 113. v. 9. & Psal. 128. v. 3.) Abortum (Esa. 65. v. 23.) Ser-
pentes (Sap. 16. v. 10. 12.) Pestem (Psalms. 91. v. 6.) & Mortem
(Ps. 107. v. 20 Sap. 16. v. 13.) abigere suetus est, ac Media tandem, ad
Sanitatis tutelam, affatim largitur (Sirac. 38. v. 2. & 4.) Figulo
quoque (alteribi) comparatus, in cujus arbitrio est, vas ali-
quod haec aut alia ratione formare, mutare, rumpere, aut refor-
mare. Ex quibus omnibus jam perspicua satis & facilis red-
ditur Loci illius explicatio apud lobum, cap. 14 v. 5: *Nonne Ho-
minis Dies sunt definiti?* putà, juxta conditionem Materiæ, ex
qua constituitur, sicut superius de Horologio dictum est. Nu-
merus Mensum annos est penes Te? Intellige, tanquam penes Ar-
tificem,

tificem, qui Materiam illam perfectissimè novit, & pro lubitu suo singit, ut habilis vel inhabilis statim in utero reddatur, ad consequendam Vitam longam. Nonne Determinationes ejus fecisti, quas non transgredietur? h. e. quas non transgredietur Naturæ iter aut ordinariæ: non excluditur tamen hic, quod queat illas transgredi Supranaturaliter, per peculiarem Gratiam Divinam, ordinariis medendi præsidiis extraordinariæ benedictionem. Sic etiam explicari denique possunt alia duo, æquè memorabilia S. Scripturæ loca; Job. 38. v. 21, & Psalm. 139. v. 14. 15. quæ verò, brevitatis ergò, verbotenus non transferbam.

§. 23. Alias non inutiles quoque sunt hæ Distinctiones, ad rectè intelligenda reliqua Scripturæ Loca, si cuiquam libet, applicandæ: (1.) Inter Immutabilitatem respectu Divine Prescience, quæ suis talis stat, & inevitabiliter jam ab æterno ferit eventus illos mundanos, quicunque aliquando fuerunt, sunt, aut erunt futuri: Et respectu Objectorum, in quorum aliquibus magna habetur quemadmodum libertas Arbitrii, sic mutabilitas quoque in varijs actionibus, & eventibus earum. Unde dicimus: Non ideo morimur hâc vel illâ horâ, quia DEUS sic prævidit, alias hora illa simpliciter foret immutabilis; sed ideo DEUS prævidit, quia in Tempore sic futurum erat, ut homo vel decurtaret vitæ Terminum, à D E O & Naturâ sibi fixum, vel ritè eundem consequeretur, vel etiam longius quodammodo transfiliret. Idem de peccato tenendum est, & æquè dicendum: Non ideo peccamus, quia DEUS prævidit (sicut id certissimè prævidit); sed ideo Deus prævidit, & Filium suum ab æterno in Redemtionem nostri elegit, quia in Tempore sic futurum erat. Quam in Rem aptè Lipsius lib. i. d. Conf. cap. 20. ait: *Quomodo, si DEUS prævidit, peccatum me, nec falli*

*falli prævisio illa potest, non necessario peccem? Fatoe, Necessariò. Sed non pro tuâ mente. Liberâ voluntate hic interveniente. Nempe ha*p*rovidit, ut eo modo pecces, quo providit: providit autem ut liberis: igitur NECESSARIÒ LIBERE peccas. Sed (hoc quidem) obiter.*

§. 24. (II.) *Inter Præscientiam, vel ἡγίγνωσην Dei, ac inter ejusdem Voluntatem.* Quemadmodum Perfectio Anima nostræ consistit in his, ut *Sciamus & Vehmus.* Sic DEUS Opt Max. tantò magis, utpote cuius Perfectio est eminentissima & transcendens, Actus duos præcipuos habet hos, *Scientiam* ab solutam præteriorum, præsentium, futurorum, & *Voluntatem*, quâ optimum quodque intendit, ita tamen, ut neminem vel ad malum incitet, vel ad bonum cogat, sed utrumvis relinquat arbitrio Hominis. In cujusmodi rem rectè iterum Lipsius l. d: *Ad Virtutem accingeris? illo sciente & juvante fit. Ad vitum? Sciente & Sinente.* Et quemadmodum porrò Astrologi prævident Eclypses, novilunia, conjunctiones planetarum, &c. nec verò ad talia cœlum cogunt: ita penes DEum imprimis etiam aliud est prænoscere aut prævidere quid, aliud idem velle & prædestinare.

§. 25. *Præterea (III.) Distinguitur inter Voluntatem DEI absolutam, quâ ad objectum aliquod, (sigillatim ad Terminum vitæ humanæ) sine intuitu causæ secundæ fertur; & Hypotheticam, ac restrictam ad causas inferiores, hominumque bonas vel malas actiones, ex libero eorum arbitrio fluentes.*

§. 26. Unde (IV.) Alia porrò, sed non multum absimilis *Distinctio* emergit, videlicet inter *Voluntatem DEI antecedentem & consequentem;* quæ *Distinctio* alias Theologis nostris est receptissima, ubi cum adversariis de Divinâ hominum Electione & Reprobatione agitur; & cum utrâque istâ Voluntate coheret *Præscientia* ab æterno non secus, ac justissimus quis

Judex

Judex potest prænoscere, qualem Reo alicui pœnam velit dicitare, & quomodo hanc Voluntatem vicissim mutaturus, ei-que acquieturus sit, si Reum posteà constiterit, fuisse innocentem. Vel etiam Pater aliquis, quoad *Voluntatem suam antecedentem*, liberis bene vult, & præmiorum dulcedinem, quam jam ipsis destinavit secum, satis prævidet: sed & simul cogitat: Si morigeri non sint futuri, ipsos dulcedine hâc faciam carere, donec resipuerint: & hoc speciem *Voluntatis cuiuspiam consequens* habet, quæ itidem fuerat jam prævisa.

S. 27. Omnia accuratissime verò (V.) tandem *Voluntatem Dei* in quatuor, ut sic dixerim, actus possumus distingue-re; videlicet: In *Velle simpliciter*, vel *absolutè*; in *Velle sine rigore*, (seriò tamen) sed cum conditione: in *Nolle simpliciter*, & in *Non Velle*. *Velle simpliciter* denotat firmum ac irrefragabile DEI de rebus aliquibus Decretum, & sententiam, quæ omnem repugnantiam excludit: eaq; Voluntate DEus ex gr. voluit Populum Israëliticum contra Pharaonis exercitum servari, ut etiam undas pelagi discedere, transitumque securum dare afflictis, oportuerit. *Velle sine rigore* involvit aliquam tantum approbationem, favorem, inclinationem, & desiderium, si ita loqui liceat, quā Deus aliquid vult, ita tamen, ut nulla coactio hic subsit, sed restet repugnandi, vel media ad agendum necessaria negligendi locus, ob Arbitrii Libertatem, Homini concessam. Ita Deus vult, omnes Homines salvari: nec propter-è tamen singuli salvantur, quia multi eorum proculant Salvationis media, & Legi Divinæ se immorigeros præstant, quandoquidem eadē animi libertate, quā malum arripuerant, Bonum debebant ac poterant amplecti. Eademque Voluntate, ne hoc præteream, idem DEus Ter Opt. Max. vult, Homines in illo demum Temporis punto mori, quo naturaliter

non possunt altiorem Senii gradum consequi; prævidetque, rem omnino sic futuram, nisi vel impedimenta quæpiam intercesserint, vel media ad agendum necessaria, ut dixi, fuerint neglecta. Quod si quis ipse violentas manus sibi inferat, sine dubio DEus voluit, talem aliquem diutius vixisse, quia Hominiciis indignatur: ante tempus præstitutum tamen idem moritur, & ordinationi Divinæ obstare potest, quia arbitrii libertate instructus est, adhibendi longioris Vitæ media, sub quorum conditione DEUS ter opt, max. jam ab aeterno dies nostros numeravit, quæ media verò Homo ille nequiter neglexit.

§. 28. Antequam pergamus, hic aliqua, nec levis, *Quæstio* occurrit, Cur scil. DEUS Hominem sibi ipsi permiserit, liberog, Arbitrio, in Moralibus presertim, instruxerit, ut quidem possit Bonum eligere, sed & Málum arripiendo, Deo displicere, & obnoxius Gehennæ fieri? Ad quam breviter respondetur: *Causa* istius Arbitrii, Hominibus concessi, est haud una; præcipue verò hæc: (1.) *Dei ipsius Gloria*. Ex perfectione enim & præstantiâ adeò nobilis Creaturæ, Ratione & Voluntate præditæ, potentia & Sapientia Creatoris mirificè resplendet. (2.) *Cultus ratio*. Voluntarium enim honorem sui DEus postulat, non coactum; quem verò Homines hautquam præstare potuisserint, si libertate Arbitrii caruissent. Ac demum (3.) *Perfectio Univerſi*. Cum enim Deo placuerit, ad Imaginem suam Hominem creare, in objectorum Intellectu perfectissimo & voluntate consistentem, (utut à summo ejus gradu Protoplasti statim defecerint) & verò nec Voluntas, nec Ratio ullis competenter, quæ ante Adamum productæ fuerant, Creaturis, sed tantum, circa illa nascentis Mundi cunabula, essent gradus Eantium, ita, ut alia essent tantum, alia essent & viverent, alia & essent, & viverent, & sentirent; ad Mundum omnibus numeris inte-

integrandum restituit, ut quartus insuper adjiceretur, cui scil. altius quid, & prærogativa præ reliquis omnibus rebus, à Deo creatis, competeteret. Et hoc hominem vocamus, tūm Intellectu præditum, quo ad plura iudicis sciendum fertur; tūm Voluntate, quā liberè potest vel appetenda appetere, vel non abstinere etiam à vetitis, & ipse exitium suo jugulo parare.

¶. 29. Sed misis his, Aliud porrò, ex parte DEI, est Nolle simpliciter, ut initio paragraphi 27. dictum est; id quod omnimodam repugnantiam denotat, ne contrarium contingat; c. gr. Deus Non Vult, ut Ecclesia, quæ quidem ab Adversariis premitur, tamen opprimatur: ac ideo etiam non potest opprimi: Et aliud est, Non-Velle, h. e. Invita permissio, vel permissio cum indignatione, ubi videlicet serio quidem, non fieri quid, intenditur, sed impediri, atque in diversam à meliore scopo viam agi, culpâ causarum intermedium, potest. Sic, quia Hominum multi per pravas actiones le ipsos vitâ æternâ indignos reddunt, non debemus dicere, Deum Nolle, quempiam damnari, (aliás qui in peccatis ad mortem perseverant, indifferenter unà cum fidelibus salvarentur, & comminationes Divine, quarum plurimæ in Scriptura Peccatis opponuntur, mera essent ex pelvi fulgura) sed ita est loquendum, DEUM non-velle, quempiam damnari, h. e. primariò se quidem intendisse Salutem hominum; sed quia temerè à Lege sint transgressi, non resistere, immò per Voluntatem consequentem, cum indignatione, velle, ut meritas poenias luant, postquam pietatis incitamenta, tanquam frœnum aliquod, viam dirigens, non admiserint. Ita enim iterum Lipsius, (l. suprà cit.) ait: *Equum infideō & impello debilem & claudum: quod impello, à me est; quod debilem, ab ipso. Citaram pulso dissonam, & nervis male vindam: quod tamen discordat, instrumenti vitium esse fatebere, non meum.*

Terra bac ipsa Arbores & fruges omnes alit communi succo: sed ille salutarem fructum proferunt, alia venenum. Quid dices? à Terrâ hoc esse, an potius ab insitâ Arborum vi, que alimentum bonum decoquunt in suum virus. Et hæc hactenus de his, quibus negari abunde posse existimem immutabilitatem Fatalis Terminii Vita Humane.

§. 30. Sequitur, ut, Mutabilem potius esse, ostendamus. Ad hoc in genere nobis egregiè faciunt sequentia Laurembergij verba, dum in supra-citatâ Porticu Aesculapii (cap. 4. pag. 19. a.) aptissimè sic ait: DEUS omnium Naturas sit, intuetur, numerat annos, menses, dies, horas, minuta; quo usq; naturaliter possint vivere. Hunc naturalem Vita cursum Homines queunt intercipere & interpolare, & præcidere Ferro, Laqueo, Igne, Aquâ, Venere, &c. Id DEus quidem prævidet fore; sed non cogit eos; qui potius velle, non fieri. Reliquit enim liberum quibusq; Arbitrium. Hoc tandem modo possunt homines mori Tempore non suo, dicente Sapiente, citra Dei Voluntatem; quam citra & peccant. Et mori Tempore non suo, seu sibi ipsi mortem accersere iumento suo, est peccatum. Cum ergo morbis affigitur Homo, ob hujusmodi errores, quidni utatur ope Medicis & Medicamentorum? que Deus creavit? cum q; Deus nolit illum mori extra suum Tempus & cum nemo intelligat, quando naturalis ille Vita Terminus, à Naturâ & Deo prefixus, adsit, omnes teneantur Sanitatem curare; Medicinam nobis facere, ne tentemus Deum, vel nostrâ incuria ante portamus articulum Mortis, qui differri in multis dies fors posset.

§. 31. In Specie vero, Accelerari posse Fatalem Vita Termi-
num, ne longius abeamus, Exemplis sat superque patet. Quid enim passim frequentius, quam ut homines propriâ suâ, vel Luxûs, & immoderata vita, vel morbi alicuius neglecti, autocheirias, &c. culpâ, lethiferum accelerent sibi diem? Et,
quos

quos spontanea dementia non abripit, illorum peccata haut raro approperata divinitus morte castigantur. Illustre sed horrendum ejus rei specimen exstitit universum genus Humanum, excepto Noah, & ejus familiā, Diluvio deletum: in quod tanta clades non expetiisset, si oblatum veniae pacem cum Deo inire adeo nequiter non dubitasset. Idem de Sodomitis ac Gomorrhae, judica. Et, quid non de Saule iegimus? Mortuus est Saul propter pravaricationem suam, quia pravaricatus fuerat in DOMINUM super verbum DOMINI, quod non custodivit; Verba ipissima sunt sacri Codicis, i. Paralip: ii. v. 13. Sic Nabalem percussit Dominus, (i. Samuel: 25. v. 38.) ut morte moreretur: Sic Ger, & Onan, filii Iudae, ob malitiam occisi sunt a Deo; Genes 38. v. 7. & 10. ut Korab, Dathan, & Abiram silentio transgrediar, quos vivos Terra insimul absorpsit. Pestem vero quoties populo Israëlitico, ob peccata, non minatus est ac immisit DEUS? Ubi Mors temporalis, in locum pœnae immissa mortalibus est. Sed & Gratiae interdum eadem rationem habet, aut habuit. In Viris yidelicet Justis, quos Deus e vivis eripuit, antequam videre possent Calamitates, Regioni aut Urbi cuiquam destinatas.

§. 32. Exemplis Testimonia succedunt: sequentia videlicet loca Biblica: Jobi 21. v. 21. Numerus Mensum ejus (Impii) vix diuidum complebit; & cap: 15. v. 32. Abripiatur sicut uva immatura a' Vite, & sicut Olea florem perdit: & Psalm. 55. v. 25. Impii & Sanctorum quinarii dimidium vite vix complebunt; cum quo loco confer præterea Psalm: 102. v. 25.

§. 33. Sed & prolongari posse præstitutos Vita Humana Terminos, (præcipue per Medicinam,) nec fieri id indignante Deo, documentis haut minus efficacibus probatur. Et primùm quidem ab eviidentissimâ Ratione, quæ est hæc: Si Deus clement-

meatissimum Medicinæ subjectum, Hominem, creavit, eumq; Doctrinæ capacem reddidit, & desideria tūm discendi, tūm operandi eidem indidit; si etiam Finem Medicinæ Hominibus concessit, Sanitatem, nec solūm huic bene dixit in Verbo suo, sed Ipse etiam interduum immēdiatè, & sāpiùs mediatè per Prophetas ac Apostolos eandem aliis est largitus: si porrò Media propemodum infiniça ad consequendam Sanitatem tribuit, uti haut pauca tribuisse constat, Siracid. 38. v. 4. 2. 4. ac Medicos tandem à se Factos pronunciat, & proptereà (ibid. v. 1.) honorandos: Is utique universam Medicinam, & in eâ hodie Chirurgiam Insuforiam non ægrè feret. Atqui vera esse priora omnia, extra omnem probandi necessitatē possum est. Ergò & posterius.

§. 34. Nec *Exempla* desunt, sed habentur ejus rei quemadmodum numero plurima, si Sanationes ægrotantium Divinas, Propheticas, ac Apostolicas hue trahere velimus, sic, præter illa, hæc tantum hic adducenda: *Huskie Regi*, per singularem Numinis Gratiam, Vita in XV. Annos prolongata est, cum jam morti proximus, ipsique à Prophetā fatalis Vitæ Terminus esset intimatus: vide Esaiam, 38. capite. *Asariè pariter* 2. Reg: 20. v. 5. vitæ tela perspicuè extensa est: ac *Ninivitis* excidio destinatis, idem NUMEN Gratiissimum pepercit, ne everterentur, postquam à peccatis defecerunt, Jonæ 3. v. ultimo; ubi verba imprimis notanda sunt, quæ ibi exstant: *Pœnituit* (dicitur) *Dominum Malum*, *quod comminatus fuerat* *Ipsis*, *velle immitte e*. Ergò DEus Fatale de illis Decretum misit, & mutabile id in similibus casibus esse, invictâ Autoritate docuit: ne personas Gentilium hic addam, Democriti, Herotiae, Galeni, aut aliorum, qui partim Termino vicini, partim alias debiles, causarique, vitam convenientibus mediis egregie pro-

prolongarunt; quā de re vide *Autores*, ac præcipue *Laurembergium*, suprà aliquoties laudatum, portic. *Æsculap.* pag. 21. & 22. Vitæque longævæ ac sanæ exempla (etiam recentiora) adduxit B. Collega meus D. *Watsonius*, (sect. 3. *Synops. Philos.* part. 2. cap. 5. §. 17. pag. 468.) notatu digna. A quorum recensione verò, Studio Brevitatis supersedeo.

§. 35. Accedunt *Testimonia Biblica*, ex *Deuteron.* 17. vers. 20. & quadam tenus ex *Psalm.* 61. v. 7. imprimis verò ex *Proverb.* 9. v. 11. si cui libuerit, petenda: quæ ut verbotenùs hoc transscribamus, ecquid pariter tandem, in tantâ videlicet rerum Luce, attinet?

§. 36. *Summa*: Non immutabilis, sed mutabilis ac sèpe mutatus est Vitæ humanae Terminus; & ex Distinctionibus, superiùs (§. 23. seqv.) allatis liquet, quām nullatenùs Præscientia DEI æterna tollat temporale ac liberum Arbitrium Humanum; quo accedit, ut multi, ex permisso potiùs, quām approbatione Dei, quemadmodum efficaciam habuerint, sic facto ipso effecerint, ut proprium Vitæ pensum curis partim ac mœrore, partim luxuriâ, veneno, aut Venere, partim denique, quod omnium atrocissimum, armatis contra se manibus decurarent: alii econtra, haud improbante DEO, immò consentiente, benedicente, ac largiente ipso, extendere possint vitæ suæ stadium, illudque haut paucis passibus ampliare, præsertim si ipsum cum Corpore Animum adstringant Conditioñibus, quarum potissimæ sequuntur.

§. 37. Earum l. est, *Deum timere, & Leges ejus observare*, vid. *Exod.* 23. v. 26. *Deuteron.* 4. v. 40. cap. 30. v. 15. cap. 32. v. 47. nec Ipsum quasi cogere ad pœnam Temporalem, v. *Lev.* 26. v. 16. *Jerem.* 28. v. 16. *Ecclesiastæ* 8. v. 13. quam peccatorum pœnam dignissimam deprecatur *David*, dum *Psalm.* 102. v. 25. ait:

DEUS mi, ne succidas me in medio Dierum meorum. (2.) *Parentes Venerari;* vid. Exod. 20. v. 12. Et hanc liberorum erga Parentes obseruantiam usque adeò DEUS injungere voluit, ut nec invento cum pullis Avium Nido, matrem earum capiendam, sed, ut avolet, dimittendam, sub paenâ vita Brevis, præcipiat, quod magnum quid est: vid. Deuteronom. 22. v. 6. & 7. (3.) *Superbitam,* vid. Proverb. 19. v. 16. & *Avaritiam,* vid. ibidem cap: 28. v. 16. *vitare.* (4.) *Mediis ordinariis, & laude dignis uti.*

§. 38. Hæc Media sunt partim *Theologica;* piæ ad DEUM preces, tam pro se, quam aliis. Syracid. 38. v. 9: *Fili, dum decumbis, non intermitas orare Deum, ipse sanabit Te.* (intellige, per media, à Se & Medico ordinata.) *Aia, Judææ Rex, ægrotans, ideò, quia Deum non imploraverat, sed Medicos, morte mortuus est, ut exstat in Chronicis.* Econtra postquam *Salvator Paralyticus* dicebat, Remittuntur Tibi peccata, tanquam primæ Morbi radices, surrexit ille, & optimè valens ambulavit. Partim *Moralia;* Vita Temperans, Syracid. initio dicti capititis, Luc. 21. v. 34. & animus serenus; confer Ecclæs. 3. v. 12. 13. partim *de-nig, Medica,* quæ duplicita sunt, *Conservativa,* seu *præsidia talia,* quæ præsentem hominis Sanitatem optimo victus regimine tueruntur, ne scil. in Cibo, Potu, Somno, Vigiliis, Motu, Quietè, Affectibus animi, Excretis, Retentis, Aëre, aut rebus aliis fornicatus adhærentibus, error enormis committatur: & *Restitu-tiva,* quæ ad restitutionem amissæ faciunt, ex fonte Chirurgico, si opus sit, & Pharmaceutico petita. Ad quos medendi Fontes dum jure suo tandem refertur *Chirurgia mea Infusoria,* nemo ipsam impietatis postulet, tanquam, quæ temerè ausit mutare Fatales Vitæ Terminos, cum nullus eorum adeò firmus & inexpugnabilis sententiâ Dei positus sit, cuius prolongationem per media, à Superstitione, malitia, & periculo aliena, non licet, Christiano in Proximum affectu affectare. §. 39.

§. 39. Claudio verbis doctissimi Lipsii, ex lib. i. de Constant. cap. 19. *Fatum agit in Causis necessariis necessariò: in Naturibus naturaliter: voluntariis voluntariè; contingentibus contingenter.*

DUBIUM III.

Si Æger sub administratione moriatur, culpam trifitis evenitus Medico facilè imputari, ipsumque consequenter Homicidii reum fore.

Hoc Homicidium si non directè imputabitur Medico, ut ipse administrationem suâ manu non semper aut necessario suscipienti; imputabitur tamen eidem indirectè, quatenus is Chirurgo, ut Venam Ægri, Infusionis ergò, secaret, & reliqua ficeret, Autor fuit. Immò illi id tantò magis imputabitur, quò minus Chirurgo, Medici famulo, licitum est, dicere: *Medice, quid facis?* Et jam pridem Henr. Cornelius Agrippa, quem natum, ut sic loquar, & educatum fuisse ad Scommata notum est, *Medicinam* exprefè vocavit *quandam Homicidiorum Artem*; capite 82. d. Vanitate Scientiarum. Ut hinc nullatenus mirum sit, siquidem Invento meo, si eventus non aquè semper respondeat, similis macula inuratur, uti reverà talis iniusta ab eorum aliquibus est, qui ausi sunt, ex inspecto leviter tantum, & valde superficietenus, meo ante triennium Prodromo, de toto negocio plusquam liberè judicare. Immò ipse objectionem hanc facilè prævidi: unde eandem ibidem paragrapho 23. inserui, & additâ è vestigio responsione, quamvis brevissimâ, secundavi, quæ paulò fusiùs nunc pertractatur.

RESPONSIO.

Breviarium: *Aditus ad solutionem Dubii ulteriorem.* §. 1.

Difficiles curae in casibus dubiis non negligenda: §. 2.

exemplo Trepanationis, §. 3.

Laryngotomy, Arteriotomia, §. 4.

& aliarum operationum Chirurgicarum: §. 5.

quarum omissa Æger utique non est prognostico linquendus, sed extrema tenenda, §. 6.

etiam si Mors sequatur, §. 7.

Cujus causæ quidem Medici quandoque sunt; & quo respectu? §. 8.

sed imprimis dantur plusculæ alienæ mortis causa. §. 9.

§. 1.

Itaque tenendum est, in causâ bonâ, ut ut desiderabilem Scopum non semper attingente, sufficere, Scopum quam optimum fuisse propositum, & media ad consequendum eundem verisimiliter ducentia usurpata: minimè verò esse attendendum, quid vulgus sentiat, assuetum judicare de rebus ab externis earundem Eventibus, etiam si recessus causarum intimiores ut plurimum ignoret.

§. 2. Alias in Casibus quibuscunque aliis, ubi curatio ntcunque est vel Spei dubiæ, vel difficilior exsecutu, non licet, qualicunque extremo uti remedio, & Æger prognostico haud adeò Christianè relictus, sineretur cum Fatis suis & Morbo miserè luctari.

§. 3. Sic, exempli gratiâ, in illis Fracturis Crani, quæ sine depressione ejus sunt, haud facile licet, *Trepano Cranium perforare*, quia aliqui intra vel post administrationem ejus, ob desperatam videlicet morbi conditionem, mortui sunt, & educere Saniem, circa Cerebrum collectam; quam verò educere opus est, ne hac indies relicta, vires ex mortâ concepiat, & tanquam

quam lethiferum virus aliquod, atrocissimorum permaneat causa Symptomatum, & totam Tragœdiam mox mox, certissimâ Hominis internecione claudat. Ubi Operatio quidem omni periculo haut vacat, sive nobilitatem partis perforandæ, & ea, quæ administrationem præcedunt ac comitantur, respicias, sive Instrumenti etiam gravitatem & acumen: peritissimi tamen jam à multis Temporibus Chirurgi ac Medici, non minùs solerti Ingenio, quām deterrimâ manu eò sunt progressi, ut, quando opus est, nec Ægri reformidant, tutissimè sæpe liceat, & salvâ conscientiâ, Cranium Ferramento perforare, quod juxta *Celsum*, citante *Aquapendente* in Chirurgicis Operat. (cap. d. Vulneribus Capitis) immò juxta canonicum hodie Chirurgorum usum, duplex est, aliud Terebra, communis Fabrorum Lignariorum terebræ similis; aliud, & impennis, Modiolus vocatum; cavum videlicet, teres, imis oris serratum: quod si clavum in medio habeat, Mas, si clavo careat, Fœmina vocatur. Icones, modum applicandi, cum conditionibus eò pertinentibus, ususque, multiplici experientiâ probatos, vide apud Autores, præcipue verò *Aquapendentem* modò-dictum, *Hildanum* in Observationibus, *Ambrosum Parvum*, *Carpum*, in libro d. Fracturâ Cranii, *Petrum Pauw*, Succenturiat. Anat. pag. 223, seqv. *Josephum Schmidin* in Instrumentis Chirurg. pag. 24. sequ. & *Tulpium*, lib. 1. observ. Med. cap. 5. Nec in sanandis vulneribus capitis solum laudabilem usum habet hæc Operationis Chirurgicæ Species; sed Melancholiæ quoque pertinacissimam, quamvis nulla adesset Puris, Membranæ' incubentis, suspicio, & cerebri tantum, statu distenti, evenitatio requireretur, Trepano salubriter sublatam à *Julio Caserio Placentino*, *Aquapendentis* laudati famulo primū & discipulo, postea ejusdem in Cathedrâ Anatomico-Chirurgicâ Suc-

cesfore, vide apud Job. Rhodium, cent. 1. observ. Med. 43. nec non de s̄evissimo Capitis dolore, Cephalæā item plurium anorum, Perforatione Cranii feliciter curatâ, vide Eudemibide observ. 69. & 70.

§. 4. Sic *Laryngotomie* pariter, in Auginis Epidemias ac aliis; Sic *Arteriotomie*, in calidis oculorum affectibus, dolore capitis, phrenitide, &c. vel sterili successu, vel crudeliter quoque, & contra conscientiam, à Medicis nostrâ & superiori zate maximis, inventæ partim, partim approbatæ tantopere, adhibitæque fuissent: de quarum *Prioribus* tamen, harumque usu eximio, vide, præter Scripta Chirurgorum, ex professo istam medendi materiam tractantium, *Epistolam Renati Moreau*, apud Dn. D. Thom. Bartbolinum, (cent. 1. Epist. med. 81.) *Rived.* rium, lib. 6. Med. Pract. cap. 7, in fine, ac *Practicos* plerosque reliquos: ac de *posterioribus Tulpium*, lib. 1. Obs. med. 48. laudatum *Bartbolinum*, in *Anatomæ Ref. libro de Arteriis*, cap. 1. pag. mihi 441. *Hollerium d. Morb. intern.* lib. 1. cap. 1. & ibidem in Scholis, & alios plures.

§. 5. Sic denique *Calculi vesica exciso*, sic *Paracenthesis Hydropicorum*, sic *Struma exsectio*, qualem circa Venas Jugulares Sacerdotis cujusdam, ante 7. vel 8. annos circiter Patavii, magnâ cum nominis sui & Medicinæ totius laude, instituebat *Antonius Molinetus*, *Anatomicus* & *Chirurgus* ingeniofissimus, quem docentem s̄apiùs magnâ animi attentione audivi; sic *Operaciones* quæcunque aliæ, quarum causâ *Severinus conscripsit integrum Tractatum de Chirurgiâ Efficaci*, sine Sanitatis successu interdum adhibitæ, opprobrium Medico parerent, & nihil in Medicinâ tentandum foret, nisi quod facile admodum sit, & quando Morbi conditio minus vitæ periculum inferret.

§. 6. Sed & Durum foret, & citra amorem Christianum,
Ago.

Agenizantes ægros, quandiu spiritum hi ducunt, auxilio destitutos, soli Prognostico relinquere, & ex qualicunque rigore Galenica methodi, Morbique insanabilis persuasione, carissima quandoque Capita, & eos, qui vivere diutiùs mallent ac possent, prescribere ad orcum, cum potius in Medicinā quoque interdum fiant Miracula; & in casibus dubiis, juxta Celsum, præstet, Remedium anceps adhibere, quām nullum, si modò id rectæ rationis ductu non destituatur omnimodè.

§. 7. Tunc, si mors etiam succedat, & Scopum præfixum non obtinueris, Conscientiæ tuæ tamen fecisti satis, cùm, ob reatum peccati, omnes sanare sit impossibile, & Medicus opus habeat Naturâ adjutrice, juxta Hippocratem in Lege: φύσις αἰτητήσος κενεῖ πάντα: Naturâ repugnante, irrita omnia. Qui locus quidem ab Autore longè alio scopo est conscriptus, & agit non de personâ aliquâ ægroti hominis, ad prosperam valetudinem reducendi; sed tali, quæ Medicæ Artis studio tradenda sit. De eâ dicit, quod Naturâ (h. e. Ingenio capaci) doctrinâ, Loco studiis apto, institutione à puerō, industriâ, & Tempore, opus habeat, uti Textum ipsum insipientibus liquido patebit: potest tamen commodissimè, & solet communiter trahi hinc, imprimis, quod Eidem Hippocrati alteribi (lib. 6. Epid. lect. 5. §. 1.) expresse, Νέστων φύσις ἵπποι, Nature Morborum medicatrices, appellantur.

§. 8 Alias diffitendum haud est, dari hiacinde Medicos, qui sive ob imperitiam & temeritatem, Ægros non sinunt diu in lectulo computre seere, & magno animo ipsos promovent ad earpensa quantocyūs gaudia Paradisi, qui utique Medici nomine non sunt digni: sive precio conducti, aut vindictæ studio, veneno occultim exhibito, hominem jugulant, qui nul latenuis ferendi: sive ex peritoribus & honestioribus etiam, qui

qui vel cōpiā ægrorum, & temporis brevitate obruti, tantum
sibi non indulgent, ut Morbi alicuius circumstantias potissi-
mas, exacerbationes, remissiones, Metamorphoses, & quæcun-
que alia, diariis suis, more Medicorum Anglorum, inserant, de
Cura eorum paulò altius meditentur, & Autorum similes ob-
servationes ac Judicia conferant, sed ingenio suo ac memoriaz
(forsan etiam applausi Populi) nimiūm fidentes, interdum
superficieriam & minūs accuratam in curando diligentiam ad-
hibeant, & nullā malitiā quidem, securè tamen valdopere &
amplissimā quadam Conscientiæ persuasione, decubente in
ægrum justò celeriūs ex Societate Hominum dimittant, *Artis sua*
Infirmitudinem in Natura Calumniam vertentes, ut pulcrè *Verula-*
muis in Scriptis de Naturali & Universali Philosophiâ, (cap. d.
Interpretatione Naturæ, pag. 2.) loquitur, atq; quod *Ars non*
attinet, id ex Arte impossibile fuisse in Naturâ, supponentes: vel ad
Ægrum cum aliis Medicis vocati, gloriā ex Contradicendo
& Disputationibus majorem, quam amicā de Morbo auferen-
do deliberatione, consultationeque, venantur; quo perverso
ritu sanè nihil frequentius. Unde de Morte vel Hadriani, vel
cujuscunque alterius Imperatoris dictum est: *Copia Medicorum*
Cesarem perdidit; & jam olim *Hippocrati ab aliquibus, Medicinam*
dari negantibus, hoc ipsum objectum fuit, quod in Acutis
Morbis in tantum inter se dissentiant Artifices, ut, quæ alter exhibet,
veluti optima reputans, ea jammala alter existimet, fereq; ob id *Ars*
ipsa divinationi similis esse videatur; libr. d. ratione Victus in
Morb. Acut. circa initium. Quam rem multò acerbioribus
verbis Henr. Cornelius Agrippa (d. Vanit. Scient. cap. 83.) deno-
tat, dum præter alia in Gloria in Medicinæ & Medicorum con-
suetudine suâ, sic debacchatur: *Sunt reverâ Medici Homines o-*
mniūs scelestissimi, discordantissimi, invidentissimi, mendacissimi.

Sic

Sic enim omnes à se invicem dissentient, ut nullus reperiatur Medicus, qui cistra exceptionem, additionem, vel permutationem, prescriptum ab alio pharmacum comprobet: quin imò qui taceret, mordeat &c. Unde profectò Vita ægri valdopere pericitatur, & sèpe desiderium sui relinquit Medicis altercantibus, antequam hi fixerint controversiis suis metam.

§. 9. Interim semper hæc non accidunt; & habentur plures, in Medicis culpam nullatenus redundantes, *Morsis causa*; quas omnes verò adducere, nisi nominetenus tantùm, quid attinet? quia passim obyeniunt, nec credo quemquam fore, qui, optimam sèpe Medicis intentionem per illas everti posse, perueget. Primum videlicet *Natura*, operi non adspirans; immò maximè omnium *Divina Clementia* non adspirans: hæc enim nisi seriis precibns fuerit invocata, frustranceam quandoque Medicis operam navant, ut jam supra in *Respons. ad Dub. 2. §. 38.* dictum est. Hinc *Ægri* in Medicum nulla *Confidentia*, & quæ inde nascitur, *Inobedientia* in remediis patienter admittendis: demum *Adstantium officia* vel nulla, vel minus rectè comparata; quo nomine non personæ solum, in Domo ægroti familiares, & Clinicæ, sed cum Chirurgis Pharmacopæi, aut administris eorum, continentur; de quibus omnibus paulò fusiùs egi in dissertatione quadam, publicè hic habitâ, de *Fortuna Medicis*. Summè: Si quammaximè aliquando Mors succedat factæ administrationi *Cbirurgie Infusorie*, id tamen per se aut necessariò fieri non est dicendum, sed fortè per accidens, culpâ Medicis imperitoris, ægri, vel adstantium Personarum.

DUBIUM IV.

Gloriam Inventi ac Inventoris minimum diffamari.

Y

Neque

Neque enim aliud innuunt sequentia Famigeratissimi Jon-
stoni verba, dum in §. 6. Epistolæ suæ ad me, plenus ean-
dore, præter alia, sic ait: *Sed, quid si Nobitas Inventi, si casus u-
nus vel alter in principio incideret, traduceretur?* Sensus idem
est, quem tūm in inscriptione præsentis Dubii, tūm in ipso Pro-
dromo meo (§. 41.) jam pridem anteā expressi.

RESPONSIO.

Breviarium: *Notatur libertas vulgi in judicandis rebus aliorum, §. 1.*
præstrium rebus Medicorum: §. 2.
quā examen nemo terreatur. §. 3.
Multumque Inventioni rerum obfuit nimia Timiditas. §. 4.
quam aliqui palliolo Modestia frustrā segunt. §. 5.

§. 1.

Quemadmodum Aëdificia nova, sic nova Inventa, quam-
primùm Luci publicæ sistuntur, Censuris omnium expo-
sita sunt. Ostrea testam suam nunquam egreditur: nescio au-
tem, quām individuus aut perpetuus fragilitatis humanæ Co-
mes sit, ut aliena potius, quām sua, judicare malint, & limā
haut raro acri perstringere id, quod hospitalius molliusque ex-
cipere debeant.

§. 2. Medicorum Actiones præcipue liberis hominum
Linguis usque adeò expositæ sunt, ut Aethiopem sit lavaturus,
quicunque familiare hoc Cacoëthes Seculi, ligone Satyrico
eradicare tentet: domique suæ, si me audit, maneat, & magni
Thesauri instar sua sibimet asservet, quicunque tolerandis ci-
tra impatientiam aliorum refragiis minis compotem se no-
vit.

§. 3. Interim si hæsitare sic singuli vellemus, unde tan-
dem Medicinæ, tot hodienum errorum tenebris obvolutæ,
sua

sua lux accederet; ad quam exornandam omnes per conscientiam agimus, quicunque saluberrimæ Arti nomen dedimus: quisque pro Ingenii ac Judicii modulo, sive id fiat opere, sive scripto, sive utraque ratione simus.

§. 4. Tresq; nisi fallor, *Fernelius* causas statuit, easq; cardinales, errandi in Medicinâ, ob quas utilia multa, posterorum studio demum elucubranda; hodienum fugiant nostros oculos: Venerationem Priscorum nimiam, nimium contradicendi studium, & pruriginem Novitatis. Quibus si aliquis *Differentiam* nimiam velit addere, propius ad rem accedet.

§. 5. Non quidem probatur in ullo Consilio Præcipitan-tia: attamen rem aliquam minimè absurdam, utilemque in se, ac diu præmeditatam, altâ nihilominus nocte velle tege-re ideo, ne quemadmodum Novitate displiceat, sic Calumnia-torum aculeis corripiatur, institutum mihi videtur à Proxi-mi Charitate alienum, cum prætextu Modestiaz quidem, sed & cum estoeminatâ oscirantiâ conjunctum, & dignum Prisci-rum hoc fulmine: *Odi homines, Philosophâ sententia, ignava opera.* Reliquum, responsionis loco addendum, ex Prodromi mei §. 42. pro arbitrio petatur: id quod nolo repetere, ne a-ctum agam.

DUBIUM V.

Olim tutius licuisse Experiri, ob Ægrorum majorem obœ-dientiam;

Nunc verò propter Eos, qui temerè de Arte judicant, aliquando satius esse, abstinere: sunt verba Clarissimi D. Job. van Horne, ex ejus Epistolâ, §. 43, desumta.

RESPONSIo.

Breviarium: Obœdientie ac Patientie laus & necessitas ad curandum. S. 1.

Tres Nole quorundam Ægrorum insipientium (1.) Medicinam contemnere: (2.) Medicum decipere: & (3.) eidem non obædire: §. 2.
quâ posteriorē nibil frequentius, §. 3.

Quarta Nola: Obædire, sed ferō. §. 4.

De quinta, sexta, & septima, tantum obiter. §. 5.

Artes, agrotos ad obædientiam adducendi: §. 6.

Elegantia Corporis, nativa. §. 7.

& acquisita. §. 8.

Elegantiaque in verbis & polymatbiâ; §. 9.

& in Actione deniq; tam Morali, §. 10.

quam planè Medicâ. §. 11.

Conclusio Responsionis bujus. §. 12.

§. 1.

Inter Virtutes prope modum omnes nulla, ut sic dixerim, mollior, nulla (in certis casibus) exsecutu facilior, & Medico præsertim ad Curationem Morbi tam inchoandam, quam feliciter absolvendam, necessaria magis, quam experiat, est, Obsequio ac Patientiâ Ægroti. Omnibus una comes, ait Prudens in Psychomachiâ, (de Luctâ Patientiæ & Iræ:)

Omnibus una comes virtutibus associatur,

Auxiliumq; suum fortis Patientia miscet.

Quod si æger vel gemebundus medicamenta assumere negligat, vel morosus, & oestro impatientiæ actus, appositæ Tabulæ pyxides aut vaseula, recuperandæ Valetudini suæ destinata, abjecere, vel ipsam cum illis Tabulam ad solum deturbare, exorrecto extra lectulum pede tenet, nonnæ res hac foret cum singulari suo damno, & manifesto stultitiæ argumento conjuncta?

§. 2. Septem verò præcipue, juxta Job. Geylerum, (Turmâ 37. Naviculæ Stultorum) Nole sunt, quibus Ægrorum Inobædientium amentia manifestatur: Prima Nola est, Medicinam contemnere, quam tamen honore prosequendam præcepit & condidit

didit ipse DEUS. Secunda Nola est, Medicum decipere, & vel satu& curiositate impelli ad explorandum, per transmissam fortè aliquam matulam, peritiam ejusdem: vel proprios defectus etiam & morbos occultare; hoc ipso enim seipso maximè omnium decipiunt. Tertia Nola est, Medico non obædire: quandoquidem, verbis laudati Autoris, sunt, qui diligenter audiunt consilia, & etiam aliquando sinunt sibi prestare Medicinas & confici; sed eis non utuntur: neq; consiliis Medici acquiescunt, sed prorsus contraria attentant. Si Vinum jubeat, ut bibant; aquam afferri volunt: Si sudare præcipit, sedent in longis camisis, quas Sirmas quidam appellant: Jubet Clysterem recipere, ipsi Cerevisia indulgent: præcipit Sanguinem minuere, vult Patiens Balneum intrare, &c: Quæ maxima profectio Stultitia est, & absurdissimum quid vel in Grammaticis; illos nempe, qui nomen habent à Patiendo, impatientissimos tamen esse. De quibus proinde Geylerus hanc addit epicrisin: *Magna Stultitia, nolle obædire Medico, quem queris.* Aut non quæsivisses; & sic pecunia & pepercisses.

§. 3. Et hâc Ægrotantium Stultorum Nolâ nihil hodie in Germaniâ receptius, nihil, quod Scopum, (ac famam quodammodo etiam) Medici frequentius frustretur, Absequio, ut sic dixerim, vel inobœdientiâ Ægrorum. Suntque, hâc ex parte, Medici Itali nobis longè feliores, utpote qui rarò ad Ægri lectulum vocantur, nisi quem certò obsecundaturum experturi sint, etiam, cum Chirurgiæ vehementiores & crueles, ut multis videntur, quandoque obveniunt adhibendæ. Olim præsertim in Italiâ & Græciâ quantam felicitatem & nominis gloriam, præter alias causas, vel inde quoque nachi fuerint Medici veteres, ex superstitionibus eorundem historiis abunde patet.

§. 4. Cæterum non inobœdire solum, stultitiam Ægri arguit,

guit, sed obœdire etiam, ast serò. Hæc quarta, nec itidem rara, decumbentium quorundam Nola est: in cuius opprobrium merentur huc trahi, quæ idem Geylerus l. d. habet: Sunt, inquietis, qui obœdiunt, sed serò nimis: cum Ignis fuerit in tecto, & ejus culmine. Cum erat in pavimento, & unico fortasse calamo; facilimum fuisset extinxitu: sed cum jam culmen apprehenderit, factum est.

*Principiis obſta, serò Medicina paratur,
Cùm mala per longas invaluere moras.*

Plantula parva de facile velli poterat, quamcumjam in proceram creverit Arborēm, & radices profundius fixerit. Sic planè de Morbo. Inde Ecclesiasticus ait; Ante languorem quere Medicinam. Quibus sæpè-dicti Geyleri verbis quid dici vel afferri huc possit elegantius, mihi equidem non liquet.

§. 5. Quinta deinde, juxta eundem, Nola est, querere Medicinam à Vetus, Empiricis, & aliis Medicæ Artis imperitis, vel à Judæis, ac vagis deceptoribus. Sexta est, Querere eandem à Divinatoribus, & sinere, carminibus se incantare. Septima tandem; Soli Medicine inniti, neglecto auxilio divino. Sed hæc tres posteriores Nolæ præcisè huc non pertinent.

§. 6. Itaque, ut de Inobœdientiâ Ægrorum tantum paucula addamus, non inutiliter quæri posset, quod artificiò hanc aliquis Medicus vitare, obsequiumque potius, & facilem remedium tolerantiam, penes personas curæ suæ subjectas, in se deriyare posse? Cujusmodi Artes potissimum triples sunt, consistentes in *Elegantiâ Corporis, Verborum, & Actionum.*

§. 7. Ad *Elegantiam Corporis* duo pertinent, *Formositas nativa*; illiusque augmentum vel compensatio, per affectatam *Munditatem & Culturam*. Prior ista non omnibus data est, sed merum in aliquibus existit Naturæ clementioris munus, mirumque

rumque *Ægrotis* inspirat animum: Et, qui bonâ non sunt corporis habitudine (verba sunt Hippocratis initio libelli de Medico) vulgo existimantur caterorum curam non recte habere posse.

§. 8. Itaque hos imprimis, quibus blandus tantopere, Pulcritudinis radius non affulsi, summâ ope nisi decet, ut, Virginum deformium exemplo, opprobria sua quâm studiosè te-gant, adscitâ undecunque *Elegantia*, quanta spectari potest à probo cæteroquin, honesto, ac gravi Medico: attendantque hi præ reliquis jam dicto Hippocrati, qui (lib. 6. Epidem. sect. 4. §. 7. ait: *In his etiam Medicum Ægrote sè gratum præbere convenit, quæalia sunt, Ingressus, Sermones, Corporis habitus, Vestitus, Tonsura, Ungues, & Odores.* Id quod jam alteribi etiam inculcaverat (initio libri, d. Medicō, inscripti) dum ita ait: *Eius cultus munus esto: Vestis sit decora; & unguentis utatur bene olentibus, circa omnis odoris sufficieniem. Istud enim jucundum esse ægrotantibus solet.* Pluraque hanc in rem vide apud Roder. à Castro, lib. 3. Medici Polit. cap. 3. & 4.

§. 9. Per *Elegantiam* autem *Verborum* non solum intelli-gitur Suada & facundia, quâ Medicus quis utatur, ad gemebun-dos, si opus sit, Christiano solatio erigendos, iisque animum adspirandum; vel refractariis etiam molliter, tanquam papa-vere & Sesamo, quietem imperandam, & talia proferenda, quæ procul à terrore mortis, & rebus quibusvis aliis tristibus rece-dentia, ad justam serenitatem, conciliandam animo, inclinent: sed rerum quoque ipsarum pondus aliquod, unde non obscu-ra percipientur polymathiæ limatioris, judicii, & peritiæ docu-meuta; quorum respectu antiquitus Medici *χαρένες*, *χαρέ-sτουοι*, &c. vel gratiosi, dicebantur, *Homero πολλῶν ἀλλων αἰσθάξοι*, pro quo hodie in Galliâ & Italia Excellentissimi vocantur. Au-steritas contrâ tūm Sanis, nūm *Ægris* difficultem accessum præbet, ut ante

ante-laudatus *Hippocrates* admonet in libro *de eugenio et iure*, seu, de Decente Habitū; ubi pluscula, materiam hanc spectantia, ocurrunt.

§. 10. *Elegantia* denique in *Actione* duplex est, pro Actiōnum ipsarum diversitate: *Moralis* videlicet, & merē *Medica*. *Moralis Medici elegantia* consistit in hoc, ut is, ad Lectum *Ægri*, curandi studio, vocatus, præter Pietatem, quæ radix & mater veriuti est reliquarum Virtutum omnium, moderati animi ubi vis sit, humanus cum gravitate erga omnes, erga pauperes misericors, nec lucri cupidus tam penes illos, quam diyites; humilis, nec superbus, minimè gloriösus, castus & verecundus, præcipue apud *Virgines*, magnanimus & intrepidus in dubiis, confidens in securis, non audax tamen aut temerarius, sed in utroque casu sollicitus, sobriusque, prudens occasionum captator, visitator diligens, & pertinax rerum observator silentio suo commissarum, juxta tenorem *Juramenti Hippocratici*. Quod etiamsi ab Ethnico fuerit prolatum, usque adeò salubria tamen præcepta continet, ut minimè quoque dedeceant vel Medicum quemvis Christianum.

§. II. Et ex illis præceptis, ad *Actiones maxime Medicas* spectantia, nominatim sunt, *Victus rationem, quantum Facultate & Judicio Medicus asequi potest, agris utiliē prescribere, eosq; ab omnī noxa & injuriā vindicare: nullius precibus adduci, vel cuiquam auctorem esse, ut medicamen letibserum propinetur: factum nullatenus corrumpere, &c.* Quibus imprimis adde circumspictionem & Judicium in prædicendo, mollitiem in curando, & concedendis iis remediis, quibus ægri magis sunt adsueti, atque ad quæ propriā interdum cupidine ferantur, modò ne certissimē nocitura sint: gratificandum enim per sāpe est patientibus; vide *Roder. à Castro lib. 3. Med. Polit. cap. 5. pag. 130.* & præser-

sertim cap. 8. ejusdem libri: abstinentiam vicissim à præsidiis medendi crudelioribus (nisi necessitas postulet) & adhibitio nem pōtiūs Medicamentorum talium, quorum nec dosis enormis aut magna, nec Color, Odor, ac Sapor injucundus sit. Aut, si quid ingratii interdum subesse requiratur, id tamen artificiosa rerum aliarum miscela corrigatur, & iis obvolvatur, tanquam palliolo; quippe ob morositatem Ægri, dissidentiam ejus aut nauseam, sāpius accidit, ut Dolo bono utendum sit, cuius sanè modi multiplices sunt; potestque Idem de iis legi Rodericus à Castro lib. 3. Medici Polit. capit. 9.

§. 12. Ita, inquam, elegantissimè agetur, Medicusque, hāc ratione, tanquam fascino, animos Ægri & adstantium in se protrahet, ut facile ipsi obœdiant, & nutibūs suis obsecundent. Neque sigillatim in Chirurgiâ Infusoriâ quicquam occurrit, quod crudele, quod durum, quod asperum, aut denique dignum Ægri tergiversatione videatur. Si qui tamen immorigeri futurisint, culpa & damnum stoliditatis ipsorum met esto.

DUBIUM VI.

Multa Intellectui blandiri, que verò ad Experimentum vel planè non, vel non citra periculum, revocari posint.

VEl breviūs, verbis famigeratissimi Jonstoni, epistolæ suæ, superiūs allegatae §. 2.: *Haut paucæ contemplationi blandiri, que postea Expectationem destituant, exemplo Machine Tractorie, in qua sāpiuscule id observarit.* In cujusmodi sententiam manifeste-

nifestò quoque conceditur *Dn. D. Bartbolinus*, §. 3. suæ Epistolæ, *Multa esse existimans, quæ mente proficiuà conspicimus, quorum eventus vel fallat, si opus aggrediamur, vel tentari in agris non posse.* Eademque mens *Clarissimo Segero*, Epistolæ suæ §. 1. *Hoc Artificibus, inquieti, sepissimè contingit, ut illa, qua ingeniose excogitarunt, pari facilitate ac felicitate prestare minimè possint.* Quibus verbis addit Exemplum *Anatomicorum in Angliâ*, qui, dum nuper, decantatam à prisco ævo *Lienis Excisionem felicissimo atque facillimo cum successu in Canibus exercuerint, in homine eandem præstare non fuerint adhuc ausi.*

RESPONSIO.

Breviarium: Conceditur totum Dubium, §. 1.

Cur ingenio quandoque non respondeat Experimentum, causa quadam Divina, §. 2.

*& causa Mandana tres, §. 3. pendentes ex culpâ
vel Hominum, seu Subjecti operantis, §. 4.*

vel Objecti, seu Materia substrata, §. 5.

vel Medii & Circumstantiarum, §. 6.

*Exempla irriti successus innumera: §. 7. Nominatim
Mathematicum unum de Machinis Tractoriis, §. 8.*

*in quarum Exemplaribus parvis quadam procedunt, que in majori ser-
etur obtineri nequeunt, §. 9.*

ipso Vitruvio suffragante: §. 10.

Alterum Anatomicum de Excisione Splenis, §. 11.

an in Hominibus tentatâ, vel tentandâ? §. 12.

Splen, unde dicatur officere cursoribus? §. 13.

Cursores insolentissime velocitatis: §. 14.

apud Romanos erant tantum Servi. §. 15.

Setio Splenis in Canibus feliciter insticta. §. 16.

Splen, an ad vitam necessarius? §. 17.

Chamaeleon naturâ suâ carpe Splene; & Homines quidam eodem carnerunt. §.

*Aliis animalibus pastu Applenii, Erice, Geniste, Capparum, evanuisse tradi-
tur; vel potu Aqua Ferrariorum: §. 19.
vel per vim exustus, ferro candente, §. 20.
vel diverberatione, aut morbo colliquatus. §. 21.
Ue uero excindatur, que methodus tenenda? §. 22.
Reditus ad objectam Experimentorum fallibilitatem. §. 23.*

§. 1.

UTIQUE NIHIL SOLET ESSE FREQUENTIUS, QUAM UT II, QUI IN EXPERIMENTALI SAPIENTIAE CURRICULO VERSANTUR, IN EXPLORANDIS IIS REBUS, QUAS SIVE EX LECTIOINE AUTORUM OBSERVARUNT, SIVE CORAM AB ALIIS ADMINISTRARI CONTUITI SUNT, SIVE ETIAM FIERI POSSE, SAGACI INGENIO INVENERUNT, VEL PLANÈ NULLO, VEL NON AQÜE FELICI, IMMÒ PLANÈ DIVERSO INTERDUM, & QUEM NULLATENUS SPRAVERANT, SUCCESSU SECUNDENTUR, AC FALLANTUR SÆPIÙS; EXPERTI QUE ADEò ANCIPITEM EXPERIMENTORUM ALEAM, ANIMO HAUT LEVITER FRAGANTUR, & À FACIENDO ULTERIORE PERICULO, PERSPICUÈ TERREANTUR.

§. 2. Cujus rei variæ POSSUNT ESSE CAUSE; DIVINA UNA, ALTERÆ MUNDANA. *Divina* est, OCCULTUM & PECULIARE FATI ARBITRIUM DE SCIENTIIS MUNDANIS, QUO SCIL. QUEMADMODUM IMPERIIS, SIC DISCIPLINIS, ORIENDI & OCCIDENDI CERTAS LEGES POSUIT, NE, SI OMNIA SIMUL ESSENT & INVENTA, & PERFECTA, POSTERI, SCIENTIÆ FLATU TURGIDI, ANIMO EFERRENTUR, OPIFICEMQUE & LARGITOREM RERUM OMNIUM, VEL HABERENT CONTEMPTUI, VEL NEGLENTIÙS ADORARENT. *Quin*, UT HOMINIBUS OLIM, OB PECCATI REATUM, SEMEL INJUNCTUM EST, UT PANE FRUANTUR IN SUDORE VULTUS SUI: ITA NON OSCITANTE PALATO SCIENTIA, VEL EX SCIENTIÀ, PANIS, & COMMODITAS VICTÌS EST EXSPECTANDA; SED LABORANDUM CONSTANTER, PIÈQUE ORANDUM, UT DEUS LABORIBUS BENEDICAT, QUORUM FRUCTUS, SUCCESSUSQUE DESIDERABILES HIS MATERÈ, & DORMIENTIBUS QUASI, TRIBUIT, ALIIS FERÒ MAGIS, &, TANQUAM POMA.

Tantum aliquandiu ostendit tantum, nec statim adeo iis perfici permittrit.

§. 3. *Cause Mundane* triplices sunt, pendentes ex culpâ vel *Hominum*, vel *Objecti*, vel *Circumstantiarum*.

§. 4. *Hominum* quidem, tamenquam *Subjecti* operantis, dum e. g. Experimentator aliquis in faciendis periculis vel non sat ingeniosus est, vel non sat exercitatus, vel alias non exhaust reliquias aut potissimas conditiones, quas ad experimentum aliquod, perfectè ac ex Voto obtinendum, necessarias, inferius adducemus.

§. 5. *Culpâ* verò *Objecti*, vel *Materie substrate* subrepit error, dum hæc ob peculiarem proprietatem aliquam, Artifici ignotam, eventum frustraneum parit in operè, ejusque intentionem successu destituit, ut error ejusmodi haut facile vitari, immò nec detegi facile, vel agnosciqueat. Cum enim *Materia* ista, Experimento subjicienda, juxta solertissimum *Robertum de Boyle*, (*Tentam. Physiolog. de Infido Experimentorum Successu*, pag. 57.) sit vel *Nativa*, vel *factitia*, vel *sincera*, vel *adulterata*; & adulterata porrò vel ob additamentum aliquod, vel dolosum *præparationis* modum; (cui nos addimus *Situm diurnum*, & *marcorem* ex *senio*) vel *simplex* denique, vel *composita*: non potest non error subrepere, & materia ad operandum inidonea fieri, si, quod sàpe accidit, in emptione ejus Artifex aliquis fuerit deceptus, dolique ignarus, minus genuinam pro legitimâ assumat.

§. 6. *Circumstantiarum* culpâ & nomine intelliguntur præcipue *Locus* & *Tempus*, quæ ad Opus agendum debent esse idoneæ. Tùm & alia quædam accidentia & requisita, quæ in ipsâ administratione manuali opus est observare; non exclusis etiam interdum *Personis auxiliaribus*, quarum officia haut

haut raro ad Experimenti cuiuspiam successum postulantur, cum solus Artifex non æquè semper materiam aliquam, ob ejus amplitudinem, varietatem, aut pondus, suā manu tractare, gubernare, aut deducere ad Scopum possit.

§. 7. Ex quibus patet, quanta sit vel Causarum, vel Occasionum mutantium passim in Experimentis varietas. Tanta certè, ut exempla ubivis sint in promtu: ex quibus duo tantum hic afferam; unum ex *Matbesi*, alterum ex *Anatome*, quia Autores, Scrupulum Chirurgiæ inæ moventes, ad talia ansam mihi subministrant.

§. 8. *Mathematicum ex Mechanicis desumitur à Celeberrimo Viro, Dn. D. Job. Jonstono.* Ita enim is in Epistola sua §. 2. ut jam antè etiam notavimus, ait: *Hacten pauca contemplatione blandiuntur, que postea expectantem destruunt. Observatumq. hoc à me in Macbinis Tractoris sepiusculè.*

§. 9. In qualibus quæso Macbinis? In *Majoribus*, & quæ ad proprium usum efficaciter jam convertendæ sunt? an verò *Minoribus*; & potius ideis aut *exemplaribus Majorum*, sicuti Dominum aliquam, pontem, molendinum, theatrum, aut Turrim fabricaturi, minores talium rerum formas, exemplaria, & ve-lut archetypos, præstigiare assolent? In quibus quia pleraque manibus nostris sine negocio tractare, verte-re ac convertere, aliterque atque aliter disponere, mutare ac permutare possumus, facile quidem demonstramus, quibus usibus, & quam commodè ac compendiosè, hæc aliqua pars hujus vel illius machinæ huic aut illi operi sit accommodanda: cum verò eadem utilitates in ipsâ Structurâ majori obtinendæ sunt, tunc sive ob materiæ conflatæ molem, sive ob proportionum confusioneM & obrepentes inopinatibus quasdam anomalias, sive ob circumstantias qualescumque alias non æquè observa-

tas, aut mediorum inopiam. Aqua s^epiusculè hæret, & Plato, quod dici solet, jubet quiescere:

§. 10. Suffragantem hâc in re liquidè habemus Vitruvium, Architecturæ suæ cap. ultimo, de *Machinâ tractoriâ*, quâ corripi & transferri intra Murum accedens *Machina Hostilis*, *Helepolis*, (vel Urbium captrix,) dicta posset. Id quod in Exemplari vel Formâ minori quidem procelerit; in structurâ verò majori, minus. Verba ita sonant, lib. 10. cap. 22. dignissima adscribi: *Diognetus fuerat Rhodius Architectus*, & ei de publico quotannis certa merces pro arte erubebatur ad bonorem. Eo tempore quidam Architectus ab Arado, nomine Callias, Rhodium cum venisset, acroasis fecit, Exemplumque protulit Muri, & supra id machinam in carcēsio versatili (Carchesium quid sit, vide Bernardi num Baldum, de Verb: Vitruv: Significatione, & Vossium in Etymologico,) constituit, quâ Helepolim ad mānia accendentem corripuit, & transtulit intra Murum. (Helepolis an Testudo fuerit Arietaria, vel potius Turris, Ariete instructa, hic non disputatur.) Hoc exemplar Rhodiu cum vidissent, admirati ademerunt Diogneto, quod fuerat ei quotannis constitutum, & eum bonorem ad Calliam transtulerunt. Interēt Rex Demetrius, qui propter animi pertinaciam Poliorcetes (seu Urbium expugnator) est appellatus, contra Rhodium bellum comparando, Epimachum Atbenensem nobilēm Architectum secum adduxit. Is autem comparavit Helepolim sumptibus immanibus, industriâ laboreq; summo, Cujus altitudo fuerat pedum CXXV. Latitudo pedum LX. Ita eam Ciliciis & coriis crudis confirmavit, ut posset pati plagam Lapidis Balistâ immisi, pondo CCCLX. Ipsa autem machina fuerat millia pondo CCCLX. Cum autem Callias rogaretur à Rhodiis, ut contra eam Helepolim, machinam pararet, & illam (uti pollicitus erat) transferret intra Murum, negavit posse. Non enim omnia eisdem rationibus agi possunt:

sunt: Sed sunt aliqua, quā Exemplaribus non magnis similiter magna facta, habent effectus: alia autem exemplaria non possunt bibere, sed per se constituantur. Nonnulla vero sunt, que in Exemplaribus videntur verisimilia; cum autem crescere coepерunt, dilabuntur, ut etiam possumus hinc animum advertere. Terebratur foramen semidigitale, digitale, sesquidigitale: si eadem ratione voluerimus palmarē facere, non habet explicationem; semipedale autem, majus dicitur, ne cogitandum quidem videtur omnino. Sic item quemadmodum in nonnullis parvis exemplaribus factum appareat, in non-valde magnis fieri posse videtur, non tamen evdem modo in majoribus id consequi potest. Hec cum animadvertisserint Rhodii, eadem ratione decepti, qui injuriam cum contumeliam Diogneto fecerant, posteaquam viderunt hostem pertinaciter infestum, & machinationem ad capiendam Urbem comparatam, periculum servitutis metuentes, & nil nisi civitatis vastitatem expectandam, procubuerunt, Diognetum rogantes, ut auxiliaretur Patria. Is primò negavit, se facturum: sed posteaquam ingenue virgines & ephebicū Sacerdotibus venerunt ad deprecandum, tunc est pollicitus, bis legibus, uti, si eam machinam cepisset, sua esset. His ita constitutis, quā machina accessura erat, eā regione murum pertudit, & jussit omnes publicè ac privatim, quod quisq; babuisset, Aque, stercoris, lutis, per eam fenestram per canales effundere ante murum. Cum ibi magna vis Aque, lutis, stercoris, nocte profusa fuisset, postero die Helepolis accedens, antequam appropinquaret ad murum, in humida voragine acta consedit, nec progredi, nec regrediri posset potuit. Itaq; Demetrius cum vidisset, Sapientiā Diogneti sē deceperum esse, cum classe suā discessit. Tunc Rhodii Diogneti solertia liberati bello, publicè gratias egerunt, honoribusque omnibus eum & ornamenti exornaverunt. Diognetus autem eam Helepolin reduxit in urbem, & in publico collocavit, & inscripsit: Diognetus è Manubis id populo desit munus. Hæc ex Vitruvio, in gra.

gratiam Exempli, paulò antè (h. l. §. 8.) ex Mechanicâ pectiti.

§. II. Cui succedit alterum, à *Celeberrimo Segero ex Anatomie de promptum, de Excetione Splenia in Canibus* ab Anglis hoc seculo administratâ; quæ verò proptereà non successura facilè sit in Homine: idque fortassis ideo, quod in Homine Sectio sit admodùm difficilis, & vasa ad splenem tendentia ampliora, parenchyma ipsum magnum, connexio totius Membri cum aliis partibus accurata, & usus ejusdem penè necessarius, Vitæque proinde periculum sit, ne hæmorrhagia lethalis complicitur.

§. 12. Quod Dubium firmissimis suis talis stat, nec à me hic declinatur. Immò ipse arbitror, non tantùm difficile, & periculosæ plenum opus alex futurum, viventi Homini splenem velle eximere, sed vel cum Tyrannide quadam, & magnâ temeritate, à Christianis Medicis non imitandâ, conjunctum, relinquendumque Barbaris, qui si tale quid sine Tragico successu sunt exsequuti, res meræ fortunæ exstitit. Unde prudenter egerunt *Angli*, quod à sectione talismodi in Homine abstinuerunt: ut taceam, quod nec usus aut necessitas tanta est, quæ curiosos ad crudele adeò experimentum faciendum invitare possit; nec ex ter-mille hominibus unum adeò morigerum & facilem inventurus sis, qui idem in corpore suo sit admissurus, nisi eò per vim pellatur, uti apud *Turcas* forte patratum est, si fides habenda *Chronico* corundem, ex quo *D. Bartholinus*, cent. 4. hist. Anat. 51. p. m. 340. (utut & quæ dubitanter) refert, *Curseribus futuris Lienem eximi modo Turcis secreto*. Atque, inter *Christianos* etiam, partim de *Leonardo Fioravanta*, (quem etiam jam-laudatus *Bartholinus* allegat) Medico & Anatomico Bononiensi, circumfertur, Nobilissimam quandam Fœminam,

minam, Liene grayiter, immò lethaliter, affectam, ejus curā, atque ope Lienis, per apertum Hypochondrium, extracti convaluisse; partim de *Franc. Rouseto*, qui tradat, *Saucios Lienes à Chirurgo exemptos*. Sed relata referuntur, qui hæc imprimis habet, à *Riolano*: vel, ut *Corringius* de eodem judicat (lib. d. Sangu. cap. 6. p. m. 34.) *narrat non suā, sed alienā fide*.

§. 13. Taceo præterea & hoc, quod limam aliquam meretur, ex communi sententiâ velle credere, *Lienem* potius, quam *Hepar*, dum currimus, nos aggravare; cui molestiæ tollendæ proin Exsectio Lienis inventa sit; cum tamen Hepar æquè, ac Lien, pendulum sit, & multò, quam ille, ponderosius. Ita, tamen *Acanthio* apud *Plautum Mercatorem*, Act. I. Sc. 2. v. 13. *genua*, ait, *bunc cursorēm deserunt*. *Perī!* *Seditionem* facit *Lien*, *occupat præcordia*. Et forsitan hic aliquis diceret, quod fibris quam plurimis membranosis ventriculo & diaphragmati annexus sit, qui fortē corporis motum sine tristī sensatione non patientur.

§. 14. Interim de *Cursoribus* insolentioribus, tām olim, quam noviter cognitis, fides historica desideratur, an verē tantā, quā celebrantur, celeritate prædicti, vel consequuti eandem ex amissō per Sectionem Liene obtinuerint. Ex quibus *Cursoribus* præcipuè aliàs laudatur quidam, *Ladas* dictus, cuius tantam fuisse velocitatem *Simon Majolus* (colloqu. 4. ex *Solino*) memorat, ut is ita supra cāvum pulv̄erem cursitaverit, ut a renis pendentibus nulla indicia reliquerit vestigiorum. Adducitq; ibidem *Majolus* tām ex *Solino* jam-dicto, quam aliis Autoribus, alia Peditum, supra-fidem penē velocium, Exempla; sigillatim *Troglodytarum*, qui Equis celeriores fuerint, & reliquas quoque feras cursu præverterint: *Polymnestoris*, pueri Milēsii, qui ludicrō fuerit Leporem consequitus: *Incolarum* quorundam

dam Novi Orbis, qui Cervum die integrâ sequantur, donec clausitudine fessum capiant; & Aliorum.

§. 15. Cursores olim Romæ non ingenuos fuisse, sed servos patet ex illo L. 99. §. ult. ff. de Legat. & Fideicommis. 3. Si alij Verba, alij Cursores legati sunt: si quidam & verne & cursores sint: cursoribus cedent; semper enim species generi derogat: & paulò clariùs ex illo Plantii, paulò antè citati, in Pœnulo, Act. 3. Sc. i. v. 19:

Liberos homines per Urbem modico magis par est gradu

Ire. Servile esse duco, festinantem currere. Ad quæ verba vide insuper Taubmanni notam, ubi similis locus ex Lampridio affertur.

§. 16. In Canum vero, Suum, Felium, aut aliorum Brutorum corpore quid non licet impunè experiri? nullâ habitâ ratione doloris, aut aliorum Symptomatum. Hinc Sectio ista quemadmodum ab Anglis, sic Batavis etiam & Gallis, semel aut iterum bono cum successu tentata, mirum non est, quod crebriùs instituta fuit. Tùm in Germaniâ quoque paucissimis abhinc auniis idem periculum fieri curavit, & optato successu secundatum expertus est, rerum Medicarum Expertissimus Dn. D. Job. Michaël, Chymiater Lipsiensis emeritus, in Cane suo, quem alacrem gestu, vigilem, reliquoque Corpore sat valentem, & Dno. suo ab blandientem, post sectionem à Studio vel Candidato aliquo pridem factam, vulnusque sanatum integrè, ante annum, circiter, ipsis oculis meis vidi in Prædio laudati Viri, Bendorf dicto, Lipsiaque distante 4. milliaribus. Iste Canis proin familiaris joco ac nomine Ohn-Wilk vocabatur.

§. 17. Patetque ex his, *Animal sanguineum sine Splene vivere posse*, utut, quam bene sic vivat, hic non disputem, ne nimis

mis longè à scopo dilabamur. *Erastratus*, Lienem planè fru-
stra conditum esse, ausus est affirmare.

§. 18. *Chamæleontem suâ naturâ Liene carere*, autor est *Ce-
leb. D. Tb. Bartolinus*, Anat. vet. lib. i. cap. 16. p. m. 106. ex *Pana-
relo*. Quibus disertè *Plinius* prævit in fine capitîs 33. lib. 8.
Hist. Nat. his verbis: *Viscera sine Splene*, intellige: *Chamæleon*,
de quo ibi sermo; & de quo peculiare volumen scripsit *De-
mocritus*, teste *Marc. Aurel. Severino*, part. 2. *Zootom. Democrit.*
cap. 3. p. m. 113. *Hominumque Liene carentium*, exempla vide a-
pud *D. Conringium* d. *Sangu. generat.* initio capitîs 6. p. m. 30.
id quod tamen *Clarissimus Autor* (ibidem paulò pôst, pag. 32.
*Monstrosæ viscerum constitutioni rectissimè tribuit, quomodo
nempe præter ordinem Naturæ aliâs & Epar, & alter Pulmo-
num lobus, aut alter Renum desideretur.*

§. 19. Aliis Animalibus, *Lienem certi pabuli culpâ absumi*,
vel, (quoad sensum minimûm) evanescere, Autores scripto
tradiderunt. Ita enim *Plinius* iterum, (lib. 25. cap. 5.) loquens
de Herba *Aſplenio*, quod ibi Teucrion nominat: *Cum exta super
eam projecta effent, adhaſiffe lieni cumque exinaniffe.* Sed *Plinio*
multò modestius, verisimiliusque agit *Vitruvius*, ipso antiqui-
or, lib. i. Architect. cap. 4. Ubi, quantum intersit, in funda-
tione Urbis, loci salubritatem attendere, & quâm non eadem
regio ubivis eâdem gaudeat indole, notanter præter alia hoc
documento utitur, de Agris Creteñium, qui fuerint circa Po-
thericum flumen, quodque flumen inter duas civitates Cretæ,
Cinoson & Cortinam, manaverit: ex iis Pecoribus, quæ pro-
ximè Cinoson pascerentur, splenem habuisse: quæ autem ex
alterâ parte, proximè Cortinam, non habuisse apparentem splenem.
Cujus rei causam, à Medicis petitam, laudatus Autor ad copi-
osè ibi crescentem Herbam ἄσταληνον, *Aſplenium*, Latinis di-
ctum,

ctum, rejicit, & vel sic etiam cum *Plinio* respondet, qui in Tex-
tu suo idem adjungit etymon. Ac hodienum herba ista in-
curatione Morborum à Medicis adhibetur ad Splenis duritiem
ac Scirrum emendandum. Et quod uno in loco hac ex par-
te saepe-dictus *Plinius* herbæ *Afpleno* tribuit, id de *Erice*, vel *Ge-*
nista alibi (lib. 24. c. 9.) ait, quosdam affirmare, si ex eâ alveis fa-
ctis bibant Sues, sine *Liene* inveniri. Tum & potu *Aqua ferrata* li-
enes nisi planè absumi, valdopere tamen imminui, *Benivenius* (d.
Abdit. obs. 105.) autor est, affirmans, hominem quendam, qui
septennium vexatus fuisse à contumaci Splenis Tumore, fru-
stra adhibitis præsidii reliquis, solo tandem *Cappari*, solaque
vi Aqua, in qua *Faber Ferrarius* saepe candens ferrum extinguit, an-
nuâ potionē fuisse liberatum; & addens: *Compertum est, Ani-*
malia, que apud Fabros educantur, per quam exiguo habere Lienes.

S. 20. Cæterū *Ustione* quoque, atque sic per vim, (fer-
ri cendantis adhibiti) *Equis consumpsum Lienem* scripsérunt Ve-
terinarii antiqui, citante *Riolano* (Enchirid. Anat. lib. 2. cap.
26. p. m. 137.) &, inter Homines, *in Servis* etiam hoc fuisse tenta-
rum. Cui relationi identidem locus aliquis *Plinij* conspirat,
qui ait: *Pecuhare cursus impedimentum atiquando in eo.* (Liene)
Quamobrem inuritur cursorum laborantibus; item *Conringy*, (de
Sangu. gener. c. 6. pag. m. 34.) qui ait: *Ustio quidem in magnis*
Lienibus babet locum, unde & Hippocrati, & Paulo, & Albucasis com-
mendatur. *Nostro seculo etiam felici cum successu est exercita, teste*
Baubino. *Neque ratio ab ludit: ita enim quam maximè potest tolli A-*
que copia, quā intumuerunt. Plura insuper de *Ustionibus* Jeco-
ris, Lienis, & Ventriculi, eaque ex professo, tractantem vide
Hier. Fabricium ab Aquapendente in loco proprio Tractatūs sui
absolutissimi, de Chirurgicis operationibus; qui instar omni-
um hodie esse potest.

§. 21. Diverberatione denique *Lienem colligandi posse*, utus
haud æquè tutò, l. d. innuit idem *Riolanus*; sicut à *Morbo* alias
consumptum hoc viscus memorat, ut alios sileam, *Henricus ab Heer*
obs. Med. p. m. 289.

§. 22. Qui tamen nihilominus fortè periculum facere
in Canino, vel bruti alterius corpore, desiderat, nec *Ordinem*
Administrationis distinctim novit, hunc, ut ab aliis observatus
est, perspicuè declarabo: Primum Os vinculo constringatur,
ne vel clamore obsit, vel morsu operaturum impedit. Dein
ligentur artus; non expandendo eosdem supra tabulam, ut a-
liàs fit, cum vasa lactea, lymphatica, &c. investigamus; sed pes
anticus antico, posteriorque posteriori combinetur. Hinc
hypochondrium sinistrum cultro vulneretur, sesquidigitò cir-
citer à spinâ dorsi, amplitudine eâ, ut digitus unus ac alter in
vulnus possit ingeri. Postmodùm Lien à partibus, quibus per
fibras adhæret, ventriculo putà ac Diaphragmati, separetur, ac
extrahatur è vulnere foràs, relicta tamen particulâ parenchy-
matis, & vasis ejusdem sanguiferis, proximè sectionem fa-
ctam, fido celeriter ac bene obligatis, ne gurges Sanguinis
proruat, & Animalculum exspiret. Demum Omenti & Inte-
stini portio intrò repellatur, adsperso que pulvere vulnerario,
& adductis, ope acùs, cute peritonæo, ac Musculis, unioni par-
tium, consolidationique earundem, via conveniens sternatur;
quæ consolidatio alias etiam obtineri potest, loco pulveris
inspergendi, per Balsami Sulfuris inunctionem, ut habet pror-
sus — similis processus, *Thome Bartholino cæteròquin* (Cent.
4. hist. An. 51. p. m. 344.) ex Angliâ communicatus. Alium
modum insuper, quo extractus ex Hypochondrio aperto Li-
en cum vasis contorqueatur in modum convolvuli, sanguine-
que expresso, (& relicta indubie ligaturà) unguibus absinda-
tur, vide ibidem.

§. 23. Sed, ut in viam propositi Dubii redeamus, quod mihi à *Celeberrimis Viris, Jonstone, Bartholino, ac Segero*, objectum est, multa videlicet Intellectui blandiri, quæ verò ad Experimentum vel planè non, vel non citra periculum, revocari possint, atque sic Chirurgiam meam Infusoriam, utut non absurdâ ratione inventam, attamen cum difficultate exercendi, vel aliquo etiam vitæ aut valetudinis periculo, conjunctam esse; quod quidem periculum qualecunque attinet, Invento Infusorio imputatum, de eo hic non est Respondendi locus, ne præsens doctrinæ caput enormiter extendatur; sed reservatur hoc institutum ad Dubia paulò inferiùs distinctim proponenda, ad 13. videlicet, 14. 15. 16. & 17. Experimentores verò, in expiscandis naturæ latebris & inveniendis novis indies Remediorum generibus curiosos, Eventu optato quandoq; destitui, ipse in §. 1. præsentis Responsionis sum confessus; sed Chirurgiam Infusoriam, utpote per Experimenta varia jam probatam, propterea id non ferit, juxta Regulam: *A Particulari ad Universale N. V. C.* Experimenti, quod minùs fallat, Conditiones aut Requisita, eaque non divisim, sed conjunctim, quām fieri potest, tenenda, in Responsione ad sequens Dubium, aptâ serie adducentur.

DUBIUM VII.

Sufficienter demonstrandum esse, Eventum laudabilem omnino sequunturum.

HÆc Objectio, ut antecedens, Nobilissimi Dn. D. Jonstone est, sic inquietis, Epistolæ suæ §. 5. *Sufficienter demonstrandum, id omnino ita, si infundatur, futurum;* (h. e. glutinosum, & spis-

& spisselactum sanguinem à remedio, parvâ dosi injecto, dissolvi ac fundi posse; vel, in genere, Chirurgiam Infusoriam illud, quod promittit, indubitato præstituram.) Quo Dubio, certè gravissimo, commoda occasio suppeditatur, pauca quædam, scitu non injucunda aut inutilia, circa Experimentalem Philosophiam ac Medicinam, proferendi, ac justo Ordine deliberandi, an præstet *Experimentum*, evidentissimâ Ratione destitutum, vel ingeniosa aliqua *Ratio*, aliquid fieri posse suadens, sed nullo facto periculo confirmata?

RESPONSIO.

Breviarium: *Experiensia in genere, quid, & unde dicta?* §. 1.

Quo respectu dicatur Philosophia Mauer? §. 2.

Experimentum specialissime quid? §. 3.

Quibus conditionibus obtineatur, ne id nos fallat? §. 4.

Conditiones ex parte Personæ, Experimentum facientis: §. 5.

(I.) *Bona Animi, & his affinia; e.g. Nosse quod necessariò Inventio præcedat:* §. 6.

Ingenio ad id pollere: §. 7.

dein Präjudicio non laborare: §. 8.

quin Dubia quadam sollicitè conquirere: §. 9.

(Antoris institutum hanc ex parte §. 10.

& protestationem contra Anonymum scripti, de Glysmatica novâ Elsholtzia-
nâ, §. 11.)

sed nec Dubio diu nimis indulgere: §. 12.

quin opus tandem alacriter aggredi; §. 13.

Et inter agendum judicio pollere; §. 14.

demum, constanti labore finem operis expectare. §. 15.

(II.) *Bona corporis, Valetudo Sensuum & Artuum, etasque virilis.* §. 16.

(III.) *Bona Fortuna, vel divitiae,* §. 17.

Sive sint propriae, sive alienæ, in Salarii vicem data, §. 18.

Aristotelis, Harvey, Mattioli, & Collegii Londinensis moderni hanc ex parte felicitas, §. 19.

Con:

Conditiones ex parte Objecti: (1.) ut certa, non verò qualibet ejusdem generis, species adhibeatur. §. 20.

[2.] ut sit præsens. §. 21.

[3.] ut minima etiam ejus proprietates non sint ignota. §. 22.

(4.) ut sit morigerum, §. 23.

& (5.) certo modo dispositum. §. 24.

Conditiones ex parte Instrumentorum. §. 25.

quid Autori hæc ex parte acciderit? §. 26.

Conditiones ex parte circumstantiarum, §. 27.

præfertim Loci, Temporis, Durationis, subsidiique à personis auxiliariibus. §. 28.

Conditio denique, ipsius Eventus vel Successus est, ne experimento statim unius alicui, credatur. §. 29.

Locus Aristotelis bucrinus: §. 30.

Fonsca objectio, Artes quasdam etiam absque experimento nasci: §. 31.

Responsio ad eam. §. 32.

Quæstio huc incidens, utrum tolerabilius; Ratio sine Experientia, vel Experi- rientia sine ratione? §. 33.

Præius affirmatur, (1.) quia ratio ingeniosa periculum nulli affert: §. 34.

(2.) omni certitudine non caret. §. 35.

(3.) non tantum, (ut Experientia) confirmat aliquid; sed invenit, judicat, dirigit, & confirmat. §. 36.

Applicatio dictorum ad Infusoriam & chirurgiam. §. 37.

§. I.

Experientia ab Experimento nomen habet, si non Grammaticè, tamen Logicè: Experimentum verò ab experiendo, h. c. notando, aut observando aliquid beneficio Sensuum exterorum, dicitur: quod quò frequentius iteratur, hoc exactiorum parat Experientiam, utpote, quæ est habituale quid, consistens in Animo Humano, postquam huic Sensus externi certas rerum species distinctim representarunt, quas apprehendit ac lacriter, Memoriaque fideli commendatas, ad Usum altiorem vertit,

vertit, & factâ plurium Exemplorum inductione, conclusio-
nes exinde format universalissimas, quæ ritè dein connexæ
scientiam pariunt, & magnam illius partem, unde Philosophi,
Sapientes, aut rerum infinitarum penè periti appellamur. Vel
brevius : *Experientia est Universalis* quædam cognitio Re-
rum singularium, sensu & memoriâ sibi scilicet percepta-
rum.

§. 2. Hæcque Philosophandi ratio, hic cognoscendi
Naturam processus, est omnium optimus, quia exesse satis
facit (aut satisfacere saltem conatur) obligationi, ad quam
Exteriorum sensuum Organa trahuntur, procul habito omni
præjudicio, aut Studio affectato in Aristotelem vel alios Au-
tores, utpote quorum nuda Autoritas Nebulam tantum of-
fundit dissentibus, ipsosque in Veri cognitione insigniter
moratur, ut cogantur, fideliter quidvis credere, & parum
accuratè scire, quia scientiæ consequendæ medio destituun-
tur, *Experiens*, quæ repetitâ Experimentorum memoriâ pa-
tatur.

§. 3. *Experimenta* verò sunt duplicis generis. Quædam
perse ac sponte fiunt in Naturâ, sine ullo hominum instituto
aut directione; vocanturque *Phenomena Naturalia*, qualia mul-
ta collegit in Sylvâ suâ sylvarum, solertiſſimus *Verulamius*: alia
fiunt per accidens, & Consilio hominum, activa passivis copu-
lante, ut inde refluet tertium quid: vocanturque *Experi-
menta specialissima*, mediante mechanicâ plerumque, pyrotechnicâ,
vel chirurgiâ, eo fine suscepta, ut per illa de variis Naturæ Ar-
canis eò plenius informemur.

§. 4. Atq; ad hæc posteriora, multa imprimis requirun-
tur, quæ probè spectanda veniunt; utque *Experimentum* ali-
quod minime nos fallat, & experimenti imprimis titulum me-
reatur,

reatur, non divisim tenenda', sed, quām fieri potest, aut res ferunt, conjunctim obtainenda: nominatim *Conditiones*, partim *Personam* ejus, qui aliquid experiri vult, partim *Objectum*, vel materiam substratam, partim *Instrumenta* aut Media, partim *Administrationem* ipsam, ejusque circumstantias, partim denique *successum*, & modum *Eventus* concernentes.

§. 5. Ad *Personam*, in summā, pertinent, ut certis *Animi*, *Corporis*, ac *Fortune Bonis* sit instructa. Per quæ quid intelligatur, distinctim etiam est addendum.

§. 6. Sub *Bonis Animi* itaque, quibus *Experimentator* aliquis instructus esse debeat, & quæ his annexa sunt, sequentia continentur: (1.) ut norit optimè, *Inventionem* ante omnia debere precedere, & scopum quasi esse in animo figendum, in quem tota ejus actio terminetur. Id quod *Cardanus* inculcat, dum (lib. 12. d. Var. Rer. cap. 58. pag. 740.) ita ait: *Cum volueris mirabilia quæque Artificia invenire, Galeni viâ ingrediaris. Finem tibi primùm proponito: deinde proximiora fini excogitato. Et rursus, quæ sunt necessaria illis mediis; atque ita demum perages, donec ad primas causas & partes perveneris &c.*

§. 7. (2.) Ut ipsi *Ingenium* capax sit, vel sponte inventi gaudi, vel ab aliis inventa, quæ auditu aut visu penes ipsos notaverit, & censeat imitatu digna, dextrè, & sine manifestâ imperitiâ tractandi.

§. 8. (3.) Ut *præjudicio* non laboret, directo vel ad possibiliteratem certissimam *eventus*, sic enim arrogantia & vana persuasio, Mater erroris, facile subrepit: vel ad impossibilitatem ejusdem, si in principio operis quedam videantur paulò difficultiora; nam sic desperatio subnascitur, & periculum est, ne opus in primâ statim administratione deseratur; vel denique ad *Autores*, si credamus, nihil novi aut melius à Nōbis proferri in

in Lucem posse: sic enim Philosophandi licentiam, & proprios sensus nostros turpiter prostituimus, ut plurima Naturæ Arcana intacta relinquantur.

§. 9. (4) Immò de *Dubiis aliquibus ipse cogitet*, an ulla vel possint suggeri, quibus Experimenti successum frustraneum fore verisimiliter liqueat, vel excogitata ab aliis jam extent in scriptis alicubi, aut ex familiari colloquio, collatisue per Epistolam sententiis, undecunque peti possint. Nemo enim adeò animi perspicax est, ut omnia aliorum, (quandoque gravissima) Dubia, hariolari queat; sed submittendus, si ritè procedamus, interdum animus est exactioribus aliorum judiciis, nec propriis nostris inventis dulciter nimis abbländendum.

§. 10. Cujusmodi macula ne mihi præsertim allinetur, postquam Inventum *Chirurgia meæ Infusoria* Anno 1664. publicæ Luci dederam, ipse mihi continuò in *Prodromo* illius *Scrupulos* quosdam móvi, quos credebam, facile mihi objici posse, aut esse momenti cujuspiam. Tum paulò post etiam atque iteratis vicibus, per Literas *Dubia Aliorum* fideliter corrafi, ne scil. ullà culpâ meâ innotesceret quid Posteris, quod à scrupulis omnibus, aut gravioribus, non diligentissimè prius ac fatis esset vindicatum. Quin *Conjectura* titulo tantisper, illiusque prætextu, usus sum, ut ex sacerdicti Prodromi §. 17. patet. Unde, an malè, vel imprudenter, vel à *Ægodo egerim*, judicent, qui sine studio fastidiovè Partium judicare possunt.

§. 11. Nihilominus, dum in elucubrando præsenti Tractatu hoc Defensorio occupor, *Anonymous* quidam scriptum breve Germanicum alibi edidit, *Ortus & Progressus Chymisticae Nova inscriptum*, in quo ausus est mihi exprobrare, quod in *Prodromo* meo né syllabam facti ullius Experimenti à me, aut aliis,

proferam, quin esse tantum, ut confidenter valde pronuncias, scriptum Theoreticum. Quod judicium quidem illis, quibus potissimæ circumstantiæ Historicæ de invento meo minus cognitæ sunt, videbitur, non ex adeo sinistro, ut equidem penè interpretor, animo prolatum: qui tamen simul attendere vult, quid responsoris & quasi Apologia loco ad id reddiderim continuò, in super-edito alio scripto Germanico, *Occasus & Regressus Chirurgia Infusoria inscripto*, & utrumque ad invicem conferre, liquido cognoscet, qualicunque Gloriolæ Inventi mei, qualem tamen, immò majorem, *CL. Domino D. Elsboltio* (pro quo adeò strenue contra me agitur) nunquam invidi, aut in visurus sum, *Occasum aut Interitum* certo certius intentari. Atque, si nihil aliud à me supervacaneæ Anonymi censuræ potuisset regeri, hoc unum maneret suspicione valde dignum, quod neq; nomen autoris, neq; locus impressionis ibi adscriptus est; quo ipso Typographus etiam reatu omni non caret, dum sic agere ausus est *contra sanctionem Sac. R. Imperii*, in Appendix dicti Apologetici mei Germanici, citatam.

§. 12. Porro tamen (s.) Experimentatorem *Non deceat Dubius diuinimis immorari*, aut unde quaque, in viis etiam planis, salebras querere, aut scopulos nimis longè dissipatos, in quos impingat. Quemadmodum enim scriptoribus alias virtutis virtutis, opus semel conceptum, & limatum jam forte quadantis, correctione nimis deterere, cumque *Augusto Cesare Aja-cem Tragoediam*, ut est apud *Macrobius* (lib. 2. cap. 4.) eò, quod dispergenter, spongiā delere, vel planè comburere Metamorphosin eum *Ovidio* (lib. 1. Trist. eleg. & v. 13. seqq:) tanquam opus impolitum; quia modus tandem in rebus humanis tenendus est: ita utile quidem est, antequam Experimentum aliquod sumptuose instituatur, de ejus successu futu-

to Dubia quædam prius sibi formare in animo, ut, si quæ Verisimilitudini illius obsint, tanquam obstacula abigas: cavedum tamen etiam, ne Dubitationibus justò diutius indulgendu, colluvie earum obruaris, & ex iisdem, tanquam Hydratuum Capitibus tot, Lassitudo & diffidentia nascatur, ex utraque, desperata neglectio, & nedum incepti desertio; qui solent esse fructus, nati in Vepretis *Pyrrhoniorum*, de quorum sectâ vide A. Gellium lib. II. c. 5. De Opinione ipsâ verò, seu, quod hic ferè idem est, de Dubitatione, quām commodè hæc cum Ternario Numero juxta Pythagoram ideo comparetur, quia conclusioni alicui adeò firmiter non assentiatur, quin alterius etiam partis prematur formidine, vide Carol: Emmam: Vizzaniū, comment in Ocell. Lucan. pag. m. 9.

§. 13. (6.) Quin potius consideratis ritè omnibus, quid verisimiliter de Experimenti successu sit sperandum, & quâ Arte Dubia, si quæ obstiterit, possint declinari, rectâ & Alacri Animo est Opus inchoandum, nec ulla, ad dextrè agendum, dimittenda occasio; ad quod, præter Ingenium, paulò antè (§. 7. videl:) descriptum, *Iudicium* quoque requiritur, & animus à vanâ rerū & Autoritatū persuasione omnimodè alienus.

§. 14. (7.) *Judicio*, inquam, *Experimentator* prætereà polleat, ne vel ante administrationem Operis à quovis Thrasone vaniloquo & Processi-vendulo, vel in ipso curriculo agendi ab his vel illis Φανομένοις (siquidem hæc mirè interdum variant) decipiatur, sed quælibet sciat, limata mentis idagine, cum propriis suis causis adæquare. Quæ Mentis humanæ prærogativa sanè, quod, inquam, *Judicium*, non cuivis à Naturâ datum est, & magnam certè rerum similiūm dissimiliūmque experientiam, penetransque ingenium præsupponit: Unde id sicut seorsim in Medicinâ ab Hippocrate (aphor. I.) sic in

universâ Experimentali sapientiâ merito *difficile* vocatur: & sicut idem *Hippocrates* (d. decenti Habitū) Medicum Philosophum vocat *ἰατρὸν*, vel DEO similem; ita Experimentator præsertim aliquis, judicio animi discurſu pollens, hoc magis DEO propinquus aut similis redditur, quò magis, quàm alii, hoc pacto *Judicium* s̄apeditum, tāquam amussum aliquam, adhibet in dirigen do itinere, quo gradatim ducatur ad cognitionem Veri, quia summa tandem & perfectissima Veritas est ipsa *Mens Divina*.

§. 15. (8.) Constanter denique idem agat, nulloque labore fractus, ab eodem Benignissimo Numine, à Naturâ & Arte Eventum optabilem Operis exspectet. Sic palmarem quandam Experimentorum Conditionem exhauserit, eritque, quotquot *Bona aut Dotes Animis*; quidem ab eo requiruntur, sufficiente earum numero instructus.

§. 16. Ad *Bona Corporis* verò pertinent *Bona* ejusdem *Valetudo*, & justa *Ætas*; h. e. nec juvenis nimis aut puerilis, nec valdè senex. *Valetudo* ideo, ut Experimentator aliquis recte apprehendat omnia tum accuratâ indagine *Seluum*, tum promptâ & agili manu, fiatque consuetudine ambidexter: *Ætas* verò à Virili non valdè recedens, quia quemadmodum tenerior ætas Grandævos quidem acumine sensum superat, à senibus autem Prudentiæ & rerum penè innumerabilium memoriâ, superatur, ac utrique parti deficit sufficiens robur artuum: ita Experimentorum, in specie sic dictorum, ac descriptorum superius (§. 3.) tentamina, nulli alteri, quàm Virili ætati, commodius committuntur, aut quicquid eidem quam maximè vicinum est, quia in Viris ordinariè nisi *Seluum* Organa exquisitissimè, attamen Intellectus, judiciumque, & moderatio Animi, & robur artuum, cum primis vigent.

§. 17. Tum

§. 17. Tum & *Bona Fortune*, h.e. Divitiæ, valdopere requiruntur, ob materiæ & instrumentorum, undecunque parabilem, amplitudinem ac farraginem sufficientem. Quæcum unicè petenda sint ex tabernis Mercatorum atque Opificum; & horum summa philosophia sit, ut ex aliorum loculis lucentur, & venditu mercium propriis medeantur vitæ necessitatibus; nec verò quævis materia cuivis Experimentatori domi enascatur: perspicuè patescit, quod, ut ait *Robertus de Boyle* (prooem. d. Experim. physicomechan. p. m. 3.) *philosophia Experimentalis solidum felixque Studium tam Crumenam requirit, quam ingenium locuples, conspirante vel jam veteris quoque poëta effato, in vulgus noto:*

*Ingenio poteram superas volitare per auras,
Me nisi pauperies Invida deprimere.*

§. 18. Atque hic perinde est, *propriis, an alienis divitiis* quis utatur. Ex quibus *proprie* non consequuntur sortem nascendi cujuslibet. *Alienas stipendia* vocamus aut *salaria amplissima*, à *Magnatibus* aut *Magistratibus*, *privatim item à Patronis* ac *Fautoribus*, *notabili Opum censu conspicuis*, *liberaliter suppeditanda*. Sed novem illi ubi?

§. 19. Interim notissima, hac ex parte, inter Veteres evasit *Aristotelis felicitas*, cui discipulus Alexander magnus quid non facultatum ad perscrutandam Naturam Animalium largitus est? Inter recentiores verò planè ejusdem Fati serenitas in Angliâ *Guilielmo Harveo* affulxit à benignissimo suo Rege. Et jam ante Harveum *Mattbiolus* simile quid testatur de Principibus etiam Germaniæ, dum in Epistola dedicatoriæ Operum suorum ita ait: *Succubuisse profectò, ni DEI opt. max. nutr me, dato cumulatius Auro, juvissent tum cesar Ferdinandus felicis recordationis, & Cesarea Majestas Tua (Maximiliane II.) tum*

II,) tum Celsitudines Vestre (Ferdinande & Carole, Archiduces Austriae) : siquidem Imperator ipse, Ferdinandus, auro & argento sunt non modico bosce meos juvit consatus. Quem imitata Cesarea Maj. Tua & Serenissimi Principes, Ferdinandus & Carolus Austria Archiduces, suas quoque opes non exiguae liberaliter contulerunt, adeo, ut bis potius, quam mibi, beneficium hoc acceptum referre possit universa republica. &c. &c. Et quid currentibus Annis nostris denique, quid commodi vel auxiliis indies non percipit Illustre Collegium Experimentalis Londinense? Cujus nunquam satis laudabile institutum quemadmodum totum ad Experimentalem sapientiam, magno Ingenio, magno & unani mi fervore, ex abditissimis etiam Naturæ latebris eruendam, & corrigendas proinde & exornandas disciplinas Reales, maximè verò Medicinam, Mathesin, & universam Physicam specialem, comparatum est: ita, præterquam quod pleraque ejus Membra ipsa Natalium splendore, Fortunæque radiis sunt clara, omnia, nisi fallor, per peculiarem Regis sui munificentiam, cum dignissimâ aliarum Provinciarum, & Literatorum in iis, non dico Invidiâ, sed Admiratione & applausu, magnoque Posteriorum emolumento, duraturis in seram Aetatem stipendiis amplissimis aluntur. Sed jam de Conditionibus ad obtinendam Experimentorum infallibilitatem necessariis, quotquot quidem Personam Artificis tangere videbantur, satis.

§. 20. Ex Parte Objecti dein, vel materiæ substratæ, etiani nonnulla requiruntur, quò minus Experimentum aliquod nosfallat. Hæcque sigillatim sunt: (1.) Ut sit certa quæpiam, nec indifferenter quæcumque, ejusdem generis, species, ne, si Eventus minus succedat, illud, quod Naturæ proprium est, falso Artii adscribatur verbis aliquoties à Nobis laudati Roberti Boyle, centam. 2. d. infido Experim: successu, p. m. 96. ubi sen-

sententiam hanc exemplo Rosarum comprobat, enarrans, qualis earum species sumenda sit, siquidem per culturam evadere debeant serotina vel Autumnales.

§. 21. (2.) Ut objectum sit (plerumque) presens. Etsi enim in Ægrotis, etiam longè à nobis diskitis, communicatio ipsis consilio quandoque Valetudinem ipsorum consequamur; immò de Unguento Armario, Pulvere Sympatheticō, aut rebus aliis, magneticè vel contrario modo agentibus, magna passim indubitate activitatis persuasio vigeat: Ægrotitamen, artificioso Medici absensis consilio convalescentes, utique sine Præsentibus Remediis non persanantur; & contra, de Unguento Armario, Pulvere Sympath: &c. ob hoc ipsum; quib⁹ tantopere celebrantur, in distans agendi officium, multæ adhuc gravissimæque extant Clarorum Virorum altercationes; nec nodi omnes videntur resoluti. Aut, si scrupulus tandem nullus de iis habendus sit, pleraque tamen, quæ aliàs ad Experimentum revocantur, commodissimè, tutissimèque sensibus nostris & præsentaneæ tractationi manuali subjecta sunt, frequentiusque assumuntur, quia quod ipsi videmus, ac manibus nostris palpatum, eorum Φανόρων animus multò facilius apprehendit, iisque acquiescit.

§. 22. (3.) Ut minima etiam ejus proprietates non sint ignorari: vel minimum, ut primâ facie sine magno negocio dignoscatur, an Materia, quam Operi cogitamus subjecere, nazivat, vel factitia, Sincera vel adulterina, simplex vel composta, recens & proba, vel ineptitudinem ex senigac situ passa: quam in rem confer, quæ superius dicta sunt, Dub. 6. §. 5.

§. 23. (4.) Ut sit morigerum, nutribusque Artificis obsecundet.

secundet. Intellige de Viventibus Animalibus, sive Brutis, quorum ferocia interdum equuleo & chordis compescenda; sive Hominibus, Medicinæ subjectis principalibus, de quorum patientiâ ad curandum Medico necessariâ, vide tractationem totius Dubii s. pag. 171. sequ.

§. 24. (5.) *Uit sit certo modo dispositum quoad magnitudinem & Figuram.* Nam e. g. de Machinis Tractoriis in precedente Dubio 6:§. 9. & 10. ex Mechanicâ dictum est, sâpe in structurâ aliquâ majore non procedere, quæ in Exemplari minore, vel ideâ procedebant. Idemque in Chymicis, Pyrotechnicis, &c. perspicacissimus Boyleus (loco anteâ-d. pag. 94.) innuit, dum Pyrophilo suo ait: *Experimenta nonnulla cum parvâ materia quantitate instituta succedere, cum majori non item, fortasse è retuâ erit, intelligere, &c.* Hæcque etiam breviter de potissimis Conditionibus objecti.

§. 25. Sequitur, quid circa Instrumenta ac Media considerandum? De his notandum, quod, velut eorum usus multiplex est, ad Experimenta diversi generis obtinenda, nec commodè omnia aut tutò solis manibus tractari possunt; sic eorundem requiri sufficientem ferraginem, ne præter intentiōnem quis, immò longè maximo cum fastidio, opus ingeniosè susceptum, in principio statim deserere, & supellectilis necessariæ, tanquam Armorum inops, miserim, miles in campo Naturæ, cum desideriis suis frustrâ intra animum luctari.

§. 26. Quale quid ferè Hamburgi mihi accidit, postquam Prodromum Chirurgiæ meæ infusoriæ in publicam Lucem emissem. Nisi enim quamplurimæ alii cauæ tum obstitissent, quò minus Inventum meum possem ad ipsum Experimenti specimen è vestigio deducere, sola Auri-

Aurifabrorum quorundam, qui mihi Canalem Infusorium
argenteum tantillâ modò magnitudine & figurâ



decebant confiscere, oscitantia, & positum unicè in pateris,
poculis, urceis, & orbibus magnis, ex auro, argento, & gemmis,
Studium, effecit, ut ob inopiam instrumenti talismodi neces-
sarii, coactus haut parū fuerim, ab experimento tantissper abs-
tinere, donec Lubecæ postmodum desiderio meo satisfa-
ctum est: id quod bonâ fide testari possum, & illi connotent,
qui Experimentorum defectum initio suetisunt, Invento meo
Infusorio exprobare.

§. 27. Cæterum quemadmodum Experimentorum
subjecta & scopi valdopere variant, ita Circumstantie quoque
Administrationi annexæ non sunt unius ejusdemque generis;
quin magno judicio dignoscendæ, & attendendæ sagaciter,
quia sæpe ex illis, quæ minimæ videntur, maximè vel promo-
vent, vel retardant optatum successum operis; id quod sæpe
citatutus Boyle (l. d. pag. 106.) de Magnete armato probat.
Ut hoc pacto, si experimentum aliquod, cuius procellum ab
alio fortè Autore acceperimus, non successerit, culpa frustra-
ti eventus simpliciter Autori imputanda non sit, quasi is il-
lum Lectori minus fideliter tradidisset; sed propriæ
nostræ inadvertentia, quæ levissimam aliquam circumstan-
tiæ, sed totum negotium pervertere valentem, primâ sta-
tim

tim tentaminis vice, vel in decursu ejus, observare negleximus.

§. 28. Per Circumstantias autem hæc potissimum intelliguntur: (1.) *Locus Operi conmodus*, qui pro Experimentorum diversitate solet esse vel ordinarius ac communis, habitaculum vi delicit ac laboratoriū qualemq;; vel extraordinarius, ac subterrā: Lucidus, vel obscurus; apicus, vel umbrosus; calidus, tepidus aut frigens; humidus, aut siccus; amplius vel angustus; arte vel Naturā accommodatus. (2.) *Tempus opportanum*, Universale aut particulare: & ex universaliore Solare vel Lunare; ex Solaribus quidem Vernali, Æstivum, Autumnale, aut Hemale; Nocturnum aut Diurnum: ex Lunaribus verò Novilunium, tempus Lunæ crescentis, plenilunium, tempus Lunæ decrescentis, aut Interlunium. Tum ex particularibus, hi aut illi Stellarum fixarum ortus aut occasus; Solisvè præsentia & positus talis aut talis in hæc vel illâ Domo cœli, in hoc vel illo signo Zodiaci; vel Solis aut Lunæ cum his aut aliis planetis conjunctiones, aut Oppositiones. &c. (3.) *Duratio certa*. Quædam enim Experimentorum curricula annorum, quædam semestrium, quædam mensis unius alterius vè, quædam septimanarum, dierum, aut horarum spacio terminantur: & quædam etiam fieri solent ex tempore. (4.) *Subsidium ab auxiliatricibus Personis*; non ubivis quidem: attamen interdum accidit, ut Artifex aliquis materiam sibi substratam solus gubernare nequeat, ob causam in Respons. ad Dub. 6. §. 6. intimatam.

§. 29. Denique quamvis accidat, ut Experimenti successu statim aliquis fruatur; attamen hoc non sufficit, ut de eodem valdopere glorietur, tanquam negocio in posterum infallibili: sed pro magna tandem *Conditionis* parte stat, ut Labor

bor iteretur, quia quemadmodum (§. 27.) dictum est, quod unica s^epē circumstantia, p^rater intentionem neglecta, possit pervertere totam rem: ita fortitudo interdum etiam accidit, ut talismodi circumstantia aliqua ab Artifice nescienter attendatur, sicque succedat Eventus optabilis; qui tamen expectationem iterum alio tempore frustretur, quod Circumstantia una ac altera forte iterum neglectu^m habita fuerit & minus observata.

§. 30. Itaque, ut repetam, uniuscui successui non est credendum. Et sit quidem, juxta Aristotelem (lib. 1. Metaph. cap. 1.) γίγνεται ἐκ τῆς μημενῆς εμπειρίας τοῖς ἀνθρώποις: sic bominibus ex Memoria Experiencia: sed audiamus & reliqua, quae continuo annexit, inquiens: οὐδὲ πολλαὶ μηνύατε αὐτὰς πεάγατες μᾶς εμπειρίας δύναμιν διποτελεστοῦ: h.e. multa enim ejusdem operis recordationes unius experientia vim perficiunt.

§. 31. Ubi quidem Petrus Fonseca (notis in istum locum, quæst. 4. sect. 1.) existimat, Artes quasdam & scientias etiam absque experimento nasci; idque exinde probare nititur, quod multi fiant Medici, antequam Experienciam earum rerum habeant, quas didicerunt, ut, qui ex Academiis, exactis Studiis, prodeunt: item, quod pueri quoque perfectè discant mathematicas scientias, præsertim Arithmeticam & Geometriam, antequam ullam rerum experientiam habeant. &c.

§. 32. Sed notandum, pueros istiusmodi, adolescentes, aut viros juvenes, quicquid solidi didicerunt, illud utique ab Experimento aliquo, fluxisse, si non proprio, tamen alieno, Præceptorum suorum videlicet, qui ipsos instituerunt; qui ipsis quoque ejusdem maximam partem a præceptoribus suis adepti sunt, & sic porro.

§. 33. Aliàs verò, ut proprius iterum ad Scopum præsentis Dubii collimemus, *Quæstio* tamen aliqua hic incidit, ad Sapientiam Experimentalēm, immò pressius, ad Chirurgiam meam *Infusoriam*, pertinens: utrum videlicet in casu tali, quando ob causas quasdam gravissimas *Ratio & Experientia* simul aut *conjunctionem* aliquandiu haberi nequeunt, & alterutra desideratur; utrum, inquam, præstet aut tolerabilius sit, opus aliquod ingeniosè excogitatum, sed *Experimenti successu* carens; vel *Experientia* aliqua, sed perspicuā & probabili carens *Ratione*?

§. 34. Inter quæ duo existimem, prius membrum eligendum: standumque pro partibus ejus has ob causas: (I.) *Tutissimum est, Ingenii acumine invenire, & statuere, quodcunque placet.* Nulla sic valetudini aut vitæ alterius vis infertur. Contrà: Quot, quæso, passim, atque à quām multis seculis, experimenta (præsertim Medica) facta fuerunt cum præsenteo aut subsequuo aliorum damno, ubi nempe ab operante Empirico sine solidæ rationis ductu adhibita fuerunt!

§. 35. (II.) Experimenta cùm succedunt, videntur habere certitudinem. Sed, ut taceam, quod paulò superius (§. 29.) inculcavi, uni alicui experimento non credendum, sed idem aliquoties iterandum esse; neque *Certitudo omnis neganda ingenuo Ratiocinio est, quia cognitis causis, (id quod fit intra intellectum) cognoscitur, & palam dari (sine manuali administratione, aut oculari inspectu) potest effectus, necessariò sequuturus, nî causæ illæ, activa passivis combinaturæ, impediendæ sint.* Exempli gratiâ: Etiam si hoc aliquod frustum plumbi, vel hunc aliquem Lapidem, impositum mensæ meæ, nūquam anteà deturbaverim dígito, ut caderet in Terram: quia tamen perspecta mihi natura Gravium

vium jam eatenus est, ut Corpora talia, à situ suo per libe-
rum aërem emota, sursum non evolent, sed impenant absente
obstaculo; non opus est, tentatum anteà fuisse quampluries,
an dictum istud Ligni, plumbivè frustum deossum lapsurum
sit, nec ne, si de tabula disjiciatur: & sic de cæteris.

§. 36. Quin (III) ulterius; si quid Experientia con-
firmat, recta & solers Ratio præstat pluscula; nam hæc & Invenit,
& judicat, & dirigit, & denique confirmat. Si qua casu inveniun-
tur, verba sunt Hofmanni, (orat. d. ratione discendi Medicin-
nam, pag. m. 46. 47.) illatam rara sunt, ut, si conferas cum illis,
qua ratione inveniuntur, in nullo numero sint. Pergitque ibi, &
rem non inconvenienter exemplo hoc roborat: In Medi-
camentorum applicatione si quid erratum fuerit, cum ratione trans-
iri potest ad aliud; cum Experientia non potest. Immò ratio facit,
ut Medicamenta sint Medicamenta: nam, ut Herophilus dicebas,
Medicamenta nihil sunt, nisi rectè utentem fortiantur.

§. 37. Id quod de pluribus quoque aliis Remediorum
generibus est notandum, & novissimè jam de Infusoriâ meâ
Chirurgiâ. Cujus scopus si ingeniosè primùm fuerit adinven-
tus, si administratio ejusdem præcipitanti consilio non ur-
geatur, si à contraindicantibus non valdopere prematur, si à
Chirurgo aut Medico alaci, sano, & dextrò, sub moderamine
recti judicii, in Ægro morigero, cujusque natura, consue-
tudo, & morbus ritè prius perspecta sint, ope instrumentorum
convenientiū, debito tempore, quātitate, & Loco, beneque no-
tatis qualibuscunq; circumstantiis, operi vel faventib⁹, vel mo-
ram minantibus, peragatur; quid obstet, quò minus eventum
laudabilem speremus, cùm liquor Venæ infusus, (si modò &
is ritè prius fuerit per omnia perspectus, & facilè adæquabilis
Sanguini) sine contagio rei ullius heterogeneæ, sine ambagi-
bus

bus multis ac præviis diverticulis, sine relietu denique post se crassamenti ullius, in quod separatione quadam intra venas vel arterias secesserit, ad partem affectam perferatur, corporaliterque, & actutum Rubro Microcosmi, h. e. Hominis, Mari misceatur? De Empiricâ Veterum Medicorum, Dogmaticâ item, & Methodicâ eorundem sectâ, quâ occasione scil. quibus Autoribus, quo successu, loco, ac tempore quælibet nata & propagata fuerit, quidvè de iis sit statuendum, jam ne-verbum addam, nisi, (pro scopo præsentis paragraphi) unicum hoc; *Empiricos pereleganter à Verulamio d. Nat. Philosophiâ , cap. Cogitata & Visa, pag. 53. Formicis, quæ congerant aliena tantum, & congestâ re utantur; Rationales vero Araneis, quæ telas ex se ipsis confiant, comparari.*

DUBIUM VIII.

Magnam difficultatem de Medio (de Infundendi Liquoris specie) adhuc bærere, nec determinari certi quid.

HOc Dubium ut pridem anteà prævidi, sic jam non ab uno Celebrium Medicorum objectum mihi met, sed à plurimis, in medium produco. Ita enim Nobilissimus D. Sachsis in Epistolæ suæ suprà (pag. 36. & 37.) adscriptæ §. 4. ait: *De Liquore injiciendo versatur rei cardo. Nescio, an nuperrime misturam penetrantissimam &c. Itaque paulò post Amplissimus D. Horstius, §. 17. Judicij sui epistolici loquitur; iisdem quasi verbis: Ipse Liquor injiciendus non minorem parit difficultatem. Puto ego, N. N. prestare. &c. Nec non CL. D. Hornius circa finem Epistolæ suæ, §. 14. Nec dum certò constat qualitas Medicamentis injicien-*

injiciendi; quod sane scrupulum haud exiguum mibi facit. Ac de-
nique Excell: D. Jonstonus epistolæ quoque suæ §. 5 his verbis,
tanquam dígito Hermetis, non minùs animum, quām aurem
mihi vellit, inquiens: *Diligenter inquirendum in remedium,*
quod visciditatem illam (sanguinis in Agonizantibus, febre ma-
lignâ detentis) sive glutinosam, sive resinosaam, in parvâ dosi
posset fundere.

RESPONSIO.

Breviarium. Iterata assumptio Dubii §. 1.

Responso ad idem §. 2.

Chirurgia Infusoria hodie, pro diversitate Liquoris infundendi, & Indi-
cationum, varia: §. 3.

vel Curativa, §. 4.

vel Palliativa, §. 5.

vel Dietetica, §. 6.

vel misti respectus, quò Transfusionis inventum pertinet: §. 7.

Vel, ratione subjecti & Liquoris, Indifferens. §. 8.

§. 1.

Quanta sit Instrumenti vel Medii, ad Experimentum aliquod
ex voto obtinendum necessitas, & quid mihi hāc ex parte
Hamburgi acciderit, in præcedentis Responsionis §. 25. & 26.
dixi. Quemadmodūm enim Faber ferrarius sine malleo
clavum nequit cudere; vel frustra à fistulis stanneis in Orga-
na Musico harmonicos sonos exspectamus, si folle destitutum
sit, vel quis follem adhibeat lacerum, aut aliàs ineptum: ita
ad Chirurgiæ Infusoriæ opus feliciter peragendum, præter
canalem transfusorium, cōmodè fabrefactum, imprimis
desideratur Liquor conveniens, sine quo aliàs frustra foret,
tentasse reliqua, ad consecutionem Experimenti facientia;
& nemo penè tāni ex Viris illis Celebris, quorum Epistola
de Invento meo Judicia collegi, quām plerisque etiam alijs

D d

qui-

quicunque unquam Prodromum meum pelegérunt, est, cujus animo hactenus non insederit cura ista, & solicitudo de Qua- litate aut specie Liquoris infundendi. Ut proinde non injuriā equidem diea mihi gravissima scriberetur, si arduum istud Quæstionis adeò celebris subjectum, siccō pede præteriisse penitus, nec conjecturam aliquam minimum addidisse, quis aut qualis Liquor, quem infundi in Venam sectam con- veniat, mihi quam maximè aptus ac tütus videretur.

§. 2. Veruntamen ex jam dicti Prodromi mei §. 46. 47. & sequ. abundè patet, quām non somnolenter penitus id negocium prætermiserim. Immò potius, dum scripti illius scopum, ob causam quaudam Politico-Medicam, eo quidem tempore, ad Agonizantes ægros tantùm, sanguine intra vena-
nasconcreto laborantes, h. e. ad casum aliquem summè dif- lem, restrinxi, ne scil : Chirurgi quidam aut alii, qui sine directione Medici haut raro Curationes Aegrorum au- dent suscipere, sub istis Inventi primitiis, à periculoso eate- nus administrandi tentamine aliquandiu terrorentur, usque dum tota res à Dubiis omnibus Eruditorum abundè esset vindicata; expressè paragrapho 47. mentionem Spiritūs Sa- lis Ammoniaci, Spiritūs Vini Camphorati, &c. addidi, & sic speciem aliquam Liquoris utique determinavi.

§. 3. Jamque postquam hactenus partim ex propriâ meâ confessione, in Deliciis Hybernis (Duernion. C. Co- lumn. 3.) spontè prolatâ, partim ex aliorum hinc inde con- jecturis ac suffragiis, partim experimento multiplici innotuit, & infra (in tractatione Dubii 49.) uberiùs patescet, Chirurgi- am Infusoriam non in Deplorato solùm Malignarum Febrium statu, sed aliis quoque Morborum generibus, in quibus pro- fligandis Medicinaliis frustra laboraverint, locum egregium mere-

mereri ; nemini non liquet, (*ex Indicationum doctrinâ videlicet, ac distinctis Ægri, Causæque peccantis Conditionibus,*) alios atque alios Liquores in his atque aliis affectibus fore eligendos : juxta quos distinctos respectus proin *Cirurgiam Infusoriām* aliam facio *Restitutivam vel curativam*; aliam conservativam vel *dietetica*am; aliam ex his *mistam*: & ex *Curativa* rursus aliam *propriè* loquendo tamē, aliam apparenter tamē tantum, vel *palliativam*. Quibus omnibus accedit, immō potius, quas omnes præcedere meritō debet, *Indifferens*, h. e. quæ non tamē sanitatis consequendæ causā in corpore Humano, quam scopo paulum diverso, ad exercitationem videlicet & promptitudinem manuum, per iteratas *in bruis* administrationes, præconciendam curiosè instituitur.

§. 4. *Curativa propriè dicta* est, cujus administratio vel statim, vel sensim, propriè tamē ac verè, secundatur desiderato effectu Valetudinis, nec ullum facilē, qui morbum ad tempus obtegat, & brevi deīn, acerbiusque eundum recrudesceat, in corpore fomitem reliquit.

§. 5. *Palliativa* econtrario, prioris foror spuria, est, quæ morbum, aut ejus vehementiam, tanquam palliolo ad tempus obtegit, intactaque ut plurimum, vel nequicquam subacta. Causæ proximæ ac continentis, intra Venas, ferociâ, quietem tantum aliquam, ob sopita aliquandiu illius graviora symptomata, imperat, nec vero prævertere aut impedire recrudescentiam potest, cum ipsa Morte paulò post conjunctam. Quade re seorsim ac ulterius agetur iufra, in Response ad Dub. XXVIII.

§. 6. *Conservativa*, vel *Dietetica* est, quæ ab aliquib⁹ scopo nutritionis instituitur, si scilicet in Viis primis, Alimento rum digestiōni destinatis, nullo vitio apparente, cibo tantum

& potui ordinarius per gulam transitus interclusus sit: in quali casu, v. g. in Anginâ, ne scil: æger fortassis fame moriatur, annon *Lac bubulum*, vel aliud, *infundi in Venam* sectam utiliter possit, superiori tempore ex Belgio à me quæsivit eximius quidam in Medicinâ tum Doctorandus.

§. 7. Porrò *Chirurgiam Infusoriam misti respectus* nomeno, quæ non simpliciter curativa est, neque simpliciter conservativa; sed utraque simul, atque alimentoso-medamentosa, ut sic dixerim: h. e. quæ ope Liquoris infusi & medetur morbo, ejusve causæ proximæ, & partibus quoque, (per Cacochymiam præsertim ad pravam aut nullam Nutritionem actis,) conveniens nutrimentum confert. Quo censu identidem haberem *Lac*, quia id in Animalibus est frater Chyli; modò citrà translationem sui ex uberibus in canalem infusorum, indeque in Venam sectam, sine jacturâ ullius auræ volatilis, derivari possit, sicut *Sanguinem* ex venâ Hominis fani in Venam alterius, (ejusque causarii, vel valetudinarii, ut vulgò vocant) derivari posse, ante annum circiter docui in Hybernis meis Deliciis (Invento 2.) & Galli novissimè, *Anglique* simile quid non infeliciter experti sunt in *Sanguine Ovillo* ad Hominem derivato; quam actionem *Transfusionem* nominant.

§. 8. Denique *Indifferens* est, ubi nullo habitu vel Corporis, vel Sanitatis humanæ respectu, Liquorem qualcumque, salutarem aut noxiū, alexipharmacum aut venenatum, fermentabilem aut constipantem, inebriantem, somniferum, aut alium, in venam aut arteriam qualicumque, qualiscunque animalis alterius, infundimus, solâ curiositate ducti, ut partim in manuali administratione, quæ in brutis impunè tentatur, exerceamur, partim ex phœnomenis his

his aut illis, operi exacto succendentibus, vel sic etiam Circulationem Sanguinis, & Medicamentorum agendi modum, non probabilem amplius, sed conspicuum penè, palpabilemque reddere valeamus. Plura de Liquore infundendo vide in *Responsione ad sequens Dubium*: maximè omnium verò, & ex professo, distinctim ac prolixiusculè ad dubium 31. & sequ.

DUBIUM IX.

Eiusdem Liquoris diversos Effectus esse.

Sensus potest esse *geminus*, ac uterque videri Chirurgiæ Infuso-
riæ adversus. *Prior* est, Non sequi, hoc aliquod Medicamen-
tum per os assumptum, hunc vel illum effectum præstare, er-
gò eundem etiam præstiturum esse, si Venæ infundatur; aut
contra. Vel brevius: Alias Liquorum operationes
esse, per os, alias per Venam acceptorum. *Posterior* est: Non
sequi, hoc aliquod Medicamentum Venæ infusum,
hunc vel illum effectum semel præstitisse, ergò eun-
dem etiam præstiturum esse, si alio tempore, in Ve-
nam alterius subjecti, quamvis eodem scopo ac dosi, iterum
infundatur. Vel brevius: Liquorum per venā acceptorum ope-
rations non unas semper easdemque esse, sed quandoque
variare; unde certitudo de Medicaminis infundendi qualita-
te aut specie non haberi possit. Quocunque sensu jam ac-
cipias præsens Dubium, ad eundem (priorē autem præcipue),
poteris sequentia verba *Clarissimi Viri Invenis, Christiani Fri-*
derici Garmanni, sine magnō negocio applicare, in *Epistolio*
eius altero, suprà (pag. 102.) §. 7. allata, quæ ita sonant:
Infudi bactenus Sulfurea, acida, nareotica, purgantia, Canibus

sapiens. Id tamen testari possum, me unius Liquoris Infusi diversos sape deprehendisse effectus. Hoc cum primis notatu dignum, quod non tantum purgantia, etiam in majori dosi Canibus propinata, nil proficiant, sed & Opiata. &c. Contra verò si venis instillentur, solennem concitant effectum.

RESPONSIO.

Breviarium. Cur liquoris in Venam infusi effectus quandoque aliis sit, quam per os assumti? §. 1.

Cur itidem Liquorum, in Venas infusorum, effectus inter se diversi quandoque percipiuntur? §. 2.

Instantia de communioribus medendi praesidiis §. 3.

Chirurgia Infusoria praebis praerogativa. §. 4.

Effectus distincti sequuntur potissimum distinctam materię dispositionem. §. 5.

Exemplo Liquationis ac Indurationis à Calore, §. 6.

distinctiorum item Colorum, ex certa liquorum mistura resultantiam: §. 7.

Nominatim Albi, per viam precipitationis; §. 8.

Ruffi, brunni fusti, ex dissolutione Mercurii sublimati, &c. §. 9.

Nigri ex Vitriolo & Gallis: §. 10.

Item sanguine Humano, & spiritibus vel Tincturis acidis cum eo mixtis: §. 11.

porrò intense Rubri, ex sanguine hum. & spiritu volatili salis Ammoniaci: §. 12.

Vel cuprei, rosei, aut pupurei, ex Aquasorti & aliis: §. 13.

Tum & flavescenit, gilvi, crocei, ex fumo sulfuris &c. §. 14.

Accerulei, ex Solutione stanni calcinati &c. §. 15.

Obiter de Aquâ Saphirina, in usus theatralis. §. 16.

Coloris denique viridis ex aquâ eadem, aue amili, &c. §. 17.

Idem color cur gratissimus oculis? §. 18.

Collectio dictorum cum similitudine, §. 19.

Et declaracione refractionum, ad denotandas colorum differentias facientium. §. 20.

Coro-

Coronis de Artificiosa colorum occultatione & resuscitatione, §. 21.

Sigillatum Nigri, §. 22.

Et cœrulei. §. 23.

§. 1.

IN Canibus quod hac ex parte notavit *Garmanus* eximius, h. e. ut Medicamentum aliquod Venæ infusum, facilius interdum, feliciusque præstiterit id, quod præstare debuit, quam si exhibitum per os fuisset, idem in homine fieri nō solùm potest ac solet, sed maximè omnium quoque debet. Causam ejus rei statim, atque prodromum meum edideram, reddidi in Epistolâ meâ ad *Celeberrimum D. Horstium*, d. 4. Januar. Anno 1665. Hamburgo missâ, quâ ipsum ad placidum & accuratum de Invento meo Judicium invitaveram. Subitaneam videlicet, sufficientemque Liquoris in Venam immisxi, cum Sanguine permistionem, translationem ejusdem sine multis ambagibus ad organum patiens, & moræ qualisunque alterius, tūm præsertim inquinamenti à rebus heterogeneis intra ventriculum, aut aliorum impedimentorū, notabilem exclusionem. Verba ita sonant: *Medicamentum Sanguini contribuendum, qualecumque etiam id fuerit, immediate, actutum, ac sine ullis ambagibus Venam penetrat, si per tubulum eidem infundatur; neque vel in Ventriculo longis digestionum momentis subjici, neque intracavitatem intestinorum porrò magis magisque infringi, deque vibribus suis deperdere, aut imprimis modò hanc modò illam alterationem suscipere opus habet à miscellâ fortè confluentium ibi Biliosi Humoris & succi acidi Pancreatici.* Idemque posteà quoque innui, & fusius explicavi, (Anno 1667. videlicet mense Jan.) in Deliciis meis Hybernis (lit. D. col. 2. & sequ.) & qualemque Inventi mei præ communioribus medendi præsidiis prærogativam ex causis jam repetitis, perspicuè deduxi. Unde in

de in aprico jam est, si Medicamentum Venæ infusum successu desiderato nos minus destituit, quam si subministratum per os fuisset; aut alias etiam si Opiata, si purgantia, Cani, ad devorandum, exhibita, vix quicquam profecerunt, ut *Garmannus* partim ex Prodromi mei §. 44. partim propriâ suâ observatione, p̄er eruditè annotat; eadem verò Venis instillata, solennem effectum concitant, & sic multò minus nos fallunt, quam si assumta intra ventriculum fuissent: utique præsens Dubium, eatenus mihi motum, non Objectio amplius est, sed accessus gratissimus ad meam sententiam, subsidiumque illustre pro confirmandâ & exornandâ Chirurgiâ Infusoriâ, quia declarat id, cuius causâ Inventum meum aliis Remediiorum generibus (in certis casibus) præfero: ejusdem Liquoris videlicet, sed diversis partibus subministrati, diversos Effectus esse, per os quidem incertos, & saepe nullos, per venam ut plurimum certiores; quæ longè maxima Diversitas nota est.

§. 2. Dicis ulterius, & juxta posteriorem præsentis Dubii acceptiōnem, in ejus assumptione inculcata ē, sorte objiciſ, etiam Ejusdem Liquoris, in eandem Venam ejusdem (genere) subjecti (v. g. Canis aut Hominis) eademque dosi injecti, saepe tamen diversos effectus esse, ergo certam aliquam dicti Liquoris speciem nec determinatam fuisse ā me, nec determinari facile ab alio quoquam posse? Respondeo breviter; hoc utique posse (& quidni solere etiam?) fieri, ob unas ac alteras circumstantias in opere peragendo minus observatas, & saepe ab Argo non satis perceptibiles: quarum neglectus continuo mutat totam rem, & Experimenti successum reddere valet irritum, uti hoc in præantecedentis Dubii 7. enucleatione, præsertim §. 4. 22. 27. & 28. abundè ā me est declaratum.

§. 3. Ve-

§. 3. Verum ideone à Chirurgiâ Infusoriâ , suadentibus ipsam certis, immo interdum urgentibus, Indicationibus, abstinentiam fuerit, & æger, post frustrâ præsertim adhibita præsidia alia, juxta Scholarum canones usitata, adversæ suæ, à quâ liberari verisimiliter posset, yaletudini linquendus, ob hærentem nobis in animo qualemcunque Eventu incertitudinem, quatenus ls futurus adhuc sit, & in supremi, quod omnia dirigit, Numinis manu situs? Ita sanè nec juxta vulgares etiam medendi regulas facile quid sive in Chirurgiâ, sive in pharmaciâ tentandum esset, quia aliquando accidit, ut vel ex venâ aliquibus sectâ Sanguis non statim promana verit, vel medicamentum purgans aut sudoriferum, nil sensibiliter evacuarit; vel alterans denique, confortans, aut quidvis aliud successu desiderabili ægrum ac Medicum non rite secundarit. Immò, nisi fallor, frustrâ propemodum Divinitus nobis data suis est Medicina, frustrâ D'E U S tec O. M. nobis ad servandam partim, partim recuperandam, per tot, tamque nobilia passim præsidia, sanitatem Autor exstislet, ad Bonum certè in hac vitâ maximum, & quo nullum aliud inter bona reliqua secularia est optabile magis aut jucundum. Itaque notandum, sufficere Medico, ad famam & conscientiam tuendam, si accuratæ Indicationum segni nixus talia administret aut fieri jubeat, quæ nisi infallibiliter semper, plerumque tamen verisimiliter valde profutura, aut certè non obfutura sint. Unde non sine causâ in ante dicti Dubii 7. responsione (§.7.) de Experimentatore in genere censui, inter reliquias ejus conditiones & requisita, hoc non exiguum esse, ut Ingenio polleat ad Inveniendum; ut iudicium dein adhibeat in ipsâ actione: aliud quippe (in Methodo medendi signatum) est, præsidii Medici Inventio, quæ semper quoad ordinem

nem est prima, & sese insinuat intellectui Medici hòc felicius aut magis, quò præstantiori ingenio is fuerit à Naturâ instrutus; hòcque minus, quò stupidiori: aliud dein ipsa Rei cuiuspiam promta ac utilis exsequutio, quæ habitæ Inventioni proximè succedit; ad quod limato judicio insuper valdè opus est, ne in corpore humano, in quo, sicut in Bello, bis peccare non licet, pænitenda comittamus, vele ea, quæ fortiter interdum contraindicant, tanquam nullius momenti res, cum præsentaneo Ægri incommodo ac damno, culpabili quadam oscitantiâ insuper habeamus.

§. 4. Jamque comparatione factâ *Inventi mei Infusorii* cū methodo vulgari, Medicamenta per os exhibendi, repetere identidem hic cogor, quæ sub initium Responsionis hujus protuli; ideo videlicet *Chirurgiam Infusoriam* usitatoribus remediis plusculis perspicuè præcellere, quia Liquor venæ infusus actutum Sanguini commisceatur, nullique partium heterogenearum coinquinamento obnoxius, sine morâ ad debitum activitatis suæ objectum transeat, illudque corporali particularum implexu, tanquam digito potente, tangat.

§. 5. Quodsi successu nihilominùs destituamur, & in effectu emergat quædam diversitas, etiam quando *Bratis* tantum curiositatis gratiâ hos aut illos siquores infundimus, notwithstanding, diversitatem istam, præter alia, vel inde suboriri, quod *in subiecto recipiente* (*Sanguine*) forsitan extiterit non observata quædam diversitas, dum scilicet particulæ ejus, cùjuscunque etiam sint generis, sulfureæ, salinæ, spirituosaæ, terrestres, aquæ, vel quocunque nomine alio sint salutandæ, non præcisè eodem modo, h. e. eadem figurâ, quantitate, situ, numero, motu, & crasi cum particulis reliquis heterogeneis, massam Sanguineam constituentibus, vel in eadem statuum

tuum distinctorum manfione ac mansionis puncto, se non habuerint, e.g. in Venâ canis unius, quomodo se habebant alio tempore in Venâ Canis alterius, cui similis liquor fuerat infusus. Quam diversitatem verò particularum, & hinc natas valde distinctas Patientis subjecti circumstantias quoad minima discernere, & digito quasi in Sanguine Hominis aut bruti computare abstrusas tantopere, & intricatas Naturæ latebras, ut punctum omne animadvertisse infallibiliter credamus, illud non Hominis est, sed Angeli aut DEI. Quin nobis in fragili hâc rerum nostrarum conditione sufficit, artificiosâ intra animum conjecturâ eò concidere, quo usque sensu, & ratione progredi possumus, resque indagini nostrâ expositas nisi à priori semper cognoscere; ab accurato capsularum scrutinio videlicet; ut plurimum tamen à posteriori vel effectis, juxta diversam istam dictarum particularum habitudinem in materia, diversimodè procedentibus. Neque enim pulcra cæteroquin illa Causarum cum suis Effectis, reciprocatio est nudè nimis capienda, ut dicentes, Qualis causa, talis effectus, existimemus, ergo eidem causæ effectrici alicui (vel principali, vel instrumentalí) eadem ineffectu succedere phœnomena debere; aut contra, ubi occurrat in eventu vel opere quædam diversitas, ergo diversitatem omnimodam in causâ efficiente necessariò residere: sed ubi vis attendenda simul est ipsa quoque materia aptitudo, quæ miris modis variat, & non satis perspecta, fallere Experturi Artificis intentionem potest, juxta alteram hanc regulam: Omne agens agit pro modo activitatis suæ; & omne patiens patitur (vel vim & Influxum agentis recipit) juxta modum quoque & tolerantiam receptivitatis suæ.

§. 6. Res hæc vulgari exemplo fit omnium clarissima.

E e 2

Idem

Idem Calor ignis, qui liquat ceram aut unguēta, indurat quoq; lutū.
Ideonē dices, quia Liquatio & Induratio adeò diversa opera sunt,
ergo à Calore propriè, verè, aut legitime non processisse?
Inq; eodem calore, immo in Igne reverberii & carbonibus vi-
vis, stylus ferreus, etiam ubi jam candescit, rectilineam suam fi-
guram servat: contrā, calamus anserinus, Lamina cornea, ac
corium, si igni immittantur, crispatione ludicra incurvantur.
Rectum vero & curvum termini planè oppositi sunt; & tamen
regiminis ejusdem Influxū substant. Itaque id debetur di-
stinctæ materiæ dispositioni.

S. 7. Idem in *mīsturā Colorūm* præsertim sicut deprehendi-
dere: quorum quidem modi sunt oppidò varii, & vel ex siccâ
pigmentorum contemperatione, vel mediocri corundem
cum oleo lini, &c. subactione, vel fluidissimorum Liquo-
rum, fontem aliquem coloris habentium, confusione, vel
vitri alicujus colorati super aliud diversi coloris, inter oculum
& objectum quoddam visibile interpositione, aut alias
à naturâ ex radiorum refractione intra vitrum, limpidâ aquâ
plenum, vel in prisme, aut rorifluo aere &c. mirificè
resultant: sed animi gratiâ, & præsertim occasione *presentis*
Dubii, contra Chirurgiam Infusoriām prolati, ubi de Liquoribus
agitur, talia tantum hic exempla afferam, per quæ ex distin-
câ peculiariūm Liquorū (Transparentium etiam) confusio-
ne, varia atque varia Colorūm phœnomena oriri, grato non
ita pridem Auditoram frequentium spectaculo publicè pa-
sam dedi, quādo Anatomicis Oculi Demonstrationibus litans, &
de objecto vistis nonnulla proferens, sigillatim de Realibus,
vulgò sic dictis, Coloribus, eorumque mutationibus arbitrariis,
occultationibus, reductionibus, &c. docui, simpliciter ex cer-
tâ Radiorum ad oculum nostrum habitudine, hanc vero ex
certâ,

certa, adq; arbitrium nostrum mutabili, particularum mimimatum in Liquoribus heterogeneis, sibi dextre confusis, figurâ, motu, acpositu, provenire.

§. 8. Olim ludere solebam, inquit Thomas Willis (d. Ferment. cap. ii. p. m. 87.) cum ~~integritate~~ vegetabilium & Mineralium solutionibus, que seorsim facta, instar aqua fontane, clare & diaphana apparebant: invicem commixtae, colorem modò atrum, modò Lacteum, rubicundum, viridem, caeruleum, aut alterius generis referabant. Solutio saturni cum accesso destillato facta, tanquam aqua pet lucida apparet: huic si oleum Tartari, instar Aqua limpidum, adjicias, mixtura statim Lacti similis albescit. Et quo pacto Antimonium diaphoreticum nitidissimum ex precipitate Butyri Antimonii, vel Bezoardieum minrale, quod quidam non temere pro eodem, quoad naturam & vires, habent, sed item itidem Lacteum, decorandæ cuti inserviens, ex precipitatione soluti Benzoin, cum Aqua Rosarum vel floruri Aurant: factâ, ad suundum vitri cedat, notum est ex pharmaceutice Medicinæ parte. Otto Tachenius in Hippocrate suo Chymico (cap. 7. pag. 37.) connotandum infert, quod sal Euliginis, ex vegetabilium prosapia oriundus, mercurium ex dictâ solutione, candidum, spongiosum & levem precipitat, sicut omnium animalium Alcalia volatilia. Mercurii verò solutionem paulò ante (pag. 27. 28.) descripsera thanc, quam etiam publicè cum liquoribus variis miscebamus:

R. Mercur. sublim. unic. β.
dissolve in Aqu. commun. Uneiis L: & per
linteum trajice.

§. 9. Endem solutio clarissima, postquam ex eodem Tachenio in particulam hujus guttatim instillarem Alkali Tartari fixum (vel oleum Tartari per deliquium), momentò in rubrum Ec;

ac splen-

ac splendentē pulverēm, intercedente strepitū & spuma aliquā, discessit, sale Tartari acidum absorbendo, Mercuriumque in poris Aquæ antea suspensum, ab eâ ad fundum vitri vel vasculi separando. *Thomas Willis* l. ante d. (pag. 88.) iisdem Liquoribus experimentum ~~Vitruens~~, Flavedinem inde oriri ait. Ita verò concilia: Flavedo saturata primum aliquandiu solutioni recens præcipitatæ innatat: successu temporis statim ad ruborem ac fundum magis magisque tendit. *Brunus* verò color emergit, *Sal Tartari Atramento* instillando; Et bruno adhuc obscurior, qualis fere Æthiopum est, ad nigredinem scilicet propriùs inclinans, si dicta ratione mistis solutioni Mercuriali & oleo Tartari insuper affundas tantillum Vitrioli Martis resoluti: ubi odoris præterea etiam Violacei accessum notare poteris.

§. 10. Planè niger, ex solutione Vitrioli communis, (quæ limpida est) chartæ inscripta, (sic legi aut videri literarū nil potest) & superallito dein Infuso gallarum, (quod quoque diaphanum est) protinus emergit, legique possunt literæ, antea absconsæ; quas verò, ut *Willius* identidem commonescit, scribendo super ipsas Spiritu Vitrioli, iterum delebis. De Atramentis vide insuper, ex Antiquis Vitruvium L. 7. c. 10. Chane-parium verò ex novis.

§. II. Aut, ne Sanguinem Humanum prorsus silentio rans eam; ad ejus phœnomena enim declaranda præsentि discursui immoror: Homini (sano etiam) ex vena brachii secta mittatur Sanguis, & tribus patellis stanneis, vel vitreis etiam (ne aliquis fortè stanni contagio phœnomenon adscribat) excipiatur. Ex his sanguis, qui in vas unum missus est, sive hoc primum; secundum, aut tertium sit, propriæ suæ indoli linquatur, ut nullus alio liquore infectus in fibras aut grumum

grumum coēat, circumnatante sero. Sanguini verò, qui in alio vasculo est, dum calēt adhuc, affundo guttas aliquot *Spiritus cujuspiam mineralis* (*Vincoli*, & *similium*) vel *Clyffum Antimonti*, vel *Tincturam Violarum*, *Rosarum*, *Tunicæ*, &c. spirituum acidorum aliquo acuatam: Sanguis sine consuetâ discessione sui in grumum ac serum totus brevi tempore enormiter concrescet, spissitudineque & atrorē suo Rob quoddam sambuci minus fluidū, *Meconiū*, *Marmeladā* obscuri coloris, &c. mentietur, manifesto arguento, quām cautè, meā quidē septentiatā, in curatione Febrium ardentium aut aliarum agendum sit, exhibendo ægris, ad sitim mitigandam, Iulebos acidiusculos; quorum plusculæ partes acidæ si ex viis primis ad corporis intimiora p̄etranslirent, nescio, an non damao futuræ sint potius, periculosa in sanguine fibrarum concretionem hinc inde accelerando, ut illius turbetur Circulus, quām multum auxilii conferendo; sed hāc de re perme quis contrarium tamen etiam statuat, si velit. *Spiritus acidus mineralis* venæ Canis infusus, eundem statim jugulat.

§. 12. *Sanguini* denique, qui in tertiam (nisi ordine, numero tamen) pelvim missus est, seorsim affundatur tantillum *Spiritus volatilis salis Ammoniaci*: Idemque sanguis totâ die, & subsequâ, (nisi plusculis insuper) difficile coibit; immò fluidus consueto longius permanens, rubidine etiam exaltabitur, & *Minii* colorem vel *Coralii* acquiret, haut vano documento, multum lucis inde accipere ea, quæ de *Spiritu Salis Ammoniaci*, in gratiam Fermentationis, intra Venas resuscitandæ, vel minimū, viscidi Sanguinis blandè iterum discerpendi, ut fluori iterum fiat idoneus, in Prodromo (§. 47. & 53.) adduxi: quāde re prolixius imprimis infra, in Responſione ad Dub. 33. agetur.

§. 13. Interim Rubedinem in aliis corporibus delitescentem hac ratione quoque e. g. manifestatus: *Aquaforis*, vel *Spiritus Vitrioli & similes*, *chara cœrulea* bibulae, vestibus coloratis (nisi jam rubris) aut ferreo etiam cultro inscripti aut instillati, *desigium jurosum aut cupreum* relinquunt; sicut Julebos etiam refrigerantes, *Syrupo Violarum*, qui cœruleentes ipsos reddit, edulcoratos, si quis *Spiritibus istiusmodi aqua*, extemporanea purpura erubescunt. De *Purpureis coloribus* cetero quin *Vitruvius* etiam antè citatus (lib. 7. cap. 14.) videatur.

§. 14. Econtrario crescentes *Rosa*, accensio subtus sulfure rubedinem amittunt, & flavedinem vel mortiferum pallorem induunt, ob virginitatem; ut sic dixerim, defloratam. *Cuprum* quomodo in *orichalcum* pér Lap. calaminare mutetur ab Erariis, aliunde notum est. *Butyrum Antimonii*, affuso ipsi sensimi *Nitri spiritu*, cum maximâ ebullitione vitrum vapore croceo, totum verò conclave & nares foetore molestissimo adspexit. *Lixivio* ex Tartaro usq; & calce vivâ facto, si misceas oleum Tartari, giltus exinde surgit color: sicut alias, teste *Tachenio* sub pra laudato; (in Hippocr. *Chirurgic.* cap. 16. pag. 102.) *Solutio Vitrioli Martis* in Aquâ simplici, mixta cum Alkali Absinthii, citrinascet; vel acquiret obraceam flavedinem, si addas, loco Alkali Absinthii, *Sal Stipitum Fabarum*.

§. 15. Porrò *Solutio Stanni calcinata*, (verba iterum sunt *Willisi*, pag. 88.) *sali Tartari* deliquato commissa, cœrulea evadit. Cujus rei equidem periculum tum non feci. Si verò Aquæ, in pelvim æneam infuse, aliquid *Spiritus Salis Ammoniaci* addatur, brevi tempore *Sappbirina* evadit, sicque pulcerrima. Id quod vulgò quidem penè notissimum est: sed &, quo pacto Liquor iste extempore colore suo iterum spoliatur, ut ad pristinam Aquæ suæ limpiditatem redeat, tum deinde, ad cœruleum

leum colorem, priori similem, iterum, èque vestigio, reducatur, mihi evidenter à nomine innotuit, modum tamen à me observatum paulò post (§. 23.) exponam.

§. 16. *Aquam Coloris cœlestis* dictam, eamque in usus Theatrales destinatam, notanter etiam, (nec incommodè) sic describit *Sebastianus Serlius*, in fine libri 2. Architect. sub titulo, *di Lumi artificiali delle Scene*, his verbis: *Ho promesso più à dierro nelli Trattati delle Scene, di dare il modo, come si fanno i Lumi artificiali di variati colori transparenti, perche primieramente dirò del colore Celeste, il quale rappresenta il zafiro, E' anco assai più bello. Prendi un pezzo di sale Ammoniaco: E' babbi un bacile da barbiero, altro vaso di lotone, mettendogli dentro un dito di Aqua. Poi questo pezzo di sale va ben fregando nel fondo, E' intorno questo bacile, tanto ch' l'se consumi tutto: aggiungendoli de l' Aqua tuttavia, E' quanto vorrai più quantità di questa acqua, E' che'l colore sia più bello, fa maggiore la quantità del Sale Ammoniaco. Fatto adunque uno bacile pieno di questo acqua, falla passare per il feltro in uno altro vaso, E' questa farà di color celeste bellissimo. E' c.*

§. 17. Denique *Viridis Color* ex jamjam sequentibus permissionibus comparet. *Aquam cœruleam*, in præcedentibus duobus §. §. descriptam, misce cum *solutione communis Vitrioli*, momentanea, eaque subobscura, *viriditas* emerget, quæ verò in Nigredinem aut fuscedinem statim transit, quia luminosi particularum radii subitò introrsum vergunt, nec visum nostrum diu reficiunt. *Solutioni Vitrioli Martis* verò si *Oleum Tartari per deliquium*, ut vocant, instillaveris, spectaculum paulò gratius & constantius habebis. Nec valde ablutus à modo dictis præterea, quod *Tachenius* iterum habet, c. 29. Hippocratis sui Chemic. p. 135. loquens de *Aqua communi Rosarum*, vel aliâ, per vas cupreum destillatâ, his verbis: *cum ita-*

que per Cupreum Alembicum fluit occulta ejus aciditas, abradit de Cupro quasdam atomos, que invisibiliter aquæ commiscentur. Vis videre cuprum? Stillæ importiunculam hujus aquæ unam vel alteram guttulam alcali Urine, & illicet tota Aquæ viridescit, eò, quod aciditas aquæ avidius arripuit leve alcali magis simile; quam metallum. Et c. His adde, quod habet solertissimus Thom: Willius (l. sæpe d.), Tincturam Violarum coeruleam oleo Vitrioli sufflam, purpurascere: cui verò si guttas quasdam spiritus cornu cervi addas, colore istum purpureum in viridem mutari. Simile jam paulò ante innui, & pridem Aguilonius quoque scripsit lib. i. opt. propos. 39. pag. 38. F. his verbis: Violarum Iesu sum, injecta guttula olei ex foce vini confessim ex puniceo in viridem colorem mutatur: Ut pluscula non adducam, quamvis in pigmentis siccis etiam exempla suppetant.

§. 18. Color viridis veòr cur præ compositis coloribus reliquis visui gratior sit, quique proinde totus ad voluptatem datum creditur ab Aguilonio dicto (p. m. 42. D.) ejus rei Causam & modum hunc determinat Cartesius (lib. d. Homine §. 20. pag. 57.) quod consistat in Proportione unius ad duo, & se habeat ut Octava ad consonantes sonos Musicæ; & ut Panis quotidianus ad cætera cibi genera; magis nimirum universaliter delectans: cuius rei uberior explicatio, nec certè non ingeniosa, ibidem videatur. Sed hoc obiter.

§. 19. Atque ex hac tenus allatis abundè patet, Colores non tam ex ullo sale, vel sulfure, tanquam principio proximo, dependere; sic enim, (meo quidem judicio) tot præser-tim fringenda essent sulfura specie diversa, & nativi rerum pictores, quot vulgo censemus Colores simplices; ut taceam, quod Color albus vix propriè Color est &c. quam quod Anima nostra pro vario particularum, in objecto visibili, figurâ & positu,

situ, occasionem nanciscitur, colorum differentias sic aut alter concipiendi, prout scil. particularum, sibi invicem modò viciniorum, modò magis à se distantium, figura & situs, intra pòros cuiuslibet liquoris mutatus fuerit, & radii luminosi vel transmittuntur, vel refringuntur, vel reflectuntur, vel introrsum etiam incurvantur, exemplo *Willitum* in acie bellicâ, quorum series, ut est apud *Willitum*, & novissimè *Boyleum*, prout nunc magis minusvè contrahitur, aut dilatatur, dextrorsùm aut sinistrorsùm invertitur, inclinatur, adducitur, aut abducitur, eodem modo nunc alarum, nunc capitis, nunc corporis vesti, nunc aliam figuram, mutato isto ordine, eminus adspecti sortiuntur.

§. 20. Determinatque *Willitus* colorum differentias tali pacto; si radii rectâ pertranseant, *Colorem fieri limpidum*, vel *Transparentiam* dicendam: si in transitu leviter refringantur, liquorem *citrinescere*; si plùs adhuc refringantur, *Rubedinem* emblemare: si verò ab extremâ illiusdem superficie statim reflectantur, *Albedinem* conspicere: si denique introrsum incurventur, ut non denuò emergant ac oculum feriant, apparere *Nigrum*; quæ *Nigredo* propterea in picturis ad denotandas umbras assumitur, quia ob eandem causam in tenebris nil videmus, quia nihil luminosi à corpore objecto ad oculum transmititur. Pluscula quoque, ab hoc doctrinæ genere haut longè recessentia, vide apud *Job. Marcum Marci*, magnum proximis annis *Pragæ* & totius *Bohemiae Medicum*, in Tractatu absolutissimo de Arcu cœlesti, vel Iride, pag. 95. usque ad 137.

§. 21. Sed ut negocium hoc claudam, atque, ne quicquam facilè ad curiositatem Lectoris explendam desit; quin ut tanto magis pateat, quantopere distinctus particularum

positus faciat ad hæc vel illa Colorum phœnomena exhibenda, Coronidis loco de artificiali *Coloris* unius aut alterius *occultatione*, ejusdemque rursus in pristinam phasim reductione, & extinti, ut sic dixerim, *resuscitatione*, aliquid hic addam. Et quidem exemplum geminum.

§. 22. Prius de *Solutione Vitrioli*, chartæ inscriptâ; ubi nihil legi potest: si verò eidem Gallarum Infusum superinduxeris, literæ atra comparebunt, ut jam superius (§. 10.) adductum est, addito & hoc, scripturam talismodi pennâ, spiritu Vitrioli intinctâ, rursus deleri posse. Jucunda profecto metamorphosis, &, quæ periclitaturum vix quenquam fallet! Sed & reduci identidem atramenti vestigia posse, si ultimò Liquorem Tartari adsperseris, Willius decernit. Mihi quidem id tentanti, loco atramenti secundarii, color brunus obscurus cum streperà ebullitione prodiit, quam identidem spiritu Vitrioli sedavi, & iteratâ olei Tartari inspersione iterum iterumque in mutabili adeò latice reduxi. Solutionem verò Mercurii sublimati si denique addideris, opali colorem quodammodo sortieris.

§. 23 Posterior Experimentum, sed acceptum à nemine, est hoc. Ex Aquâ, pelvi æneæ infusa, adjectoque volatili spiritu salis Ammoniaci fac *Aquam Coeruleam*, superius (§. 15. 16.) descriptam. Infunde vitro, ut transparentem colore saphirinum cum tanto majore voluptate cernas. Affunde dein Aquam Stymmi sulfuream, vel Clystum Antimonii, à Schrödero, (lib. 3. pharmacop. cap. 17.) ac aliis descriptum: Mistus hic liquor continuò reddetur limpidus, & fulgor cœlestis pristinus omnis disparebit. Qui verò perfacile reducibilis est, oleum Tartari affundendo. Pulchra certè & hæc Transmutatio, nisi prior-

re pul-

re pulcrior, & redivivo digna, qui abunde ipsam celebret,
Nasone.

DUBIUM X.

*Ab Experimento in Brutis faciliter esse ad Hominem
argumentandum.*

VIx aliud certè elici posse mihi videtur ex sequentibus *Excellentissimi D. Johannis van Horne, Prof. Lugduno-Batavi, verbiis, epistolæ supra citatæ §. 14.* ubi ita ait: *Quod enim Canibus infusa Medicamenta purgantia secessus moverint, aut Vinum ebrios reddiderit eosdem, non hoc multum facit, quia hæc talia sunt, quæ in omnibus eodem modo operantur, sive intus, sive extrinsecus exhibita.* Idem quodammodo est, ac si dicat, *Sed quidem non negare, illos Liquores, qui sive intus exhibiti, sive foris infusi Canibus, eosdem vel purgent, vel ebrios reddant, in Homine etiam eundem effectum præstituros:* attamen eo ipso, quo isthæc talia sint, quæ eodem modo in omnibus (*in omnibus*, inquit, tam in Homine videlicet, quam Canibus) operentur, haud obscurè concludendum esse, ergo Chirurgiam Infusoriam ita debere esse comparatam, ut præstet in Homine peculiare quid, quod non indifferenter aut facile in ullo alio Animalium genere sit effectura.

RESPONSIO.

Breviarium. *Concessio Dubii, cum restrictione*, §. 1.

& exemplo, de Analogia Brutorum & Hominis, ex Anatome petito; §. 2.
etiam quando utrorumque partes videntur valde dissimiles. §. 3.

Exempla specialia de Ventriculis Animalium, Intestino caco, &c. §. 4.

Analogia istius perspectæ duo fructus præcipue, §. 5.

(I.) *Veterinarie Inventio & propagatio*, §. 6.

Marechalii qui dicantur Italice? §. 7.

G(II.) *Sectio vel bistoria Brutorum à Democrito olim frequentata, §. 8.*

Heropphilo item ac Erasistrato, §. 9.

Galen⁹, §. 10.

G Ariſtotele : §. 11.

Nostroque tempore ab Harvéo, §. 12.

Rondeletio, Pecqueto, §. 13.

Aquapendente, Aldrovando, Asellio, Severino, &c. §. 14.

Tb: Bartholino, §. 15.

Olaus Rudbek, §. 16.

G., præter Albertum denique, Rolfincium, Schenckium, &c. Dn. D.

Hornio, præsentis Dubii Autore. §. 17.

S. I.

NEq; enim puto, me alienum sensum jam allatis enucleatissimæ Hornianæ Epistole verbis affinxisse ; quia sunt satis clara. Sed nec tantopere etiam *Chirurgie Infusoria* militant, quantum eidem militare, primo eorum intuitu apparent. Si scripisset *Clarissimus Vir*, quarundam Infusionum successus in Homine alios esse, quam in Cane, & in Cane itidem alios, vel faciliores, quam in Homine; quale quid sub Dubio 18. continetur : & per consequens, à *subjecto unius generis ad subjectum alterius*, ob tantam imprimis successus disparitatem, non esse concludendum; vehementius fortè res meas tetigisset. Enimverò quæ celebrata *Illi⁹ Humanitas est*, placuit *ipſi*, molliter mecum agere, & obsignare laudatam suam Epistolam tali scrupulo, qui nullâ asperitate Responſionem desperatam redderet; cuius summam itaque breviter hanc pono : *A Bruti⁹ ad Hominem utique non est argumentandum*; intellige, simpliciter, merè ac semper, ob longè plurima, quibus Natura Brutorum à conditione naturæ nostræ discrepat, sed hic loci ne verbo amplius tangenda : *argumentari tamen etiam à Bruti⁹ possumus ad Nos*, in iis casibus, ubi similem experimenti successum suadet simi-

similitudo partium & functionum, quæ vicissim etiam diversis specie Animalibus ac Homini intercedit.

§. 2. Alioquin, (ut *Exemplum tantum ex Anatome adducam*, cuius Sidus illustre *Hornius* noster est,) si nihil de Fabricâ corporis humani statuendum foret, & pro vero habendum, nisi cuius cognitio percepta priùs fuisset ex illius & partium ejus multiplici resolutione, nulla unquam, aut valde exigua, fuissent Galeni, aut aliorum veteris ævi clarissimorum Anatomicorum in remp. Medicam merita, qui tamen plurimum laboris & Temporis in exacto Animalium, maximè vero Brutorum, dilectione confecerunt, & hinc famam potius longè amplissimam, gratamque penes posteros sui memoriam jure merito lucrati sunt, quia res Medica hác ex parte illorum scriptis est mirè illustrata: frustra ad similem incudem desudassent optimi quivis mediæ ætatis & superioris seculi Anatomici: &, quando Motum præsertim Chyli, Lymphæ, ac sanguinis, pulmonum item, Cordis, & auricularum ejus, musculorum quorundam, arteriarum, &c. aut actiones partium qualescumque alias considero, quæ omnium optimè non nisi ex sectione Viventium disci possunt; misera hodiehum, manca, & mutila foret, tardioreque, quam fuerit, gressu ad qualemunque perfectionis fastigium conscendisset Nobilissima nostra Medicina, & in Medicinâ præsertim Anatome, nisi in subsidium venisset administrata toties in omnib⁹ penè jā Europæ provinciis, à Viris undiquaque celeribus, publicè privatimque *Zootome*, præter alias causas tantum ideo, quod Hominem vivum incidere, manifestissimum nefas est, à paucissimis commissum. Quin veluti magna actionum, sic partium quoque, & compositionis earum, inter Brutum & Hominem, est conformitas: & quanvis in aliis vicissim differant; ex iis tamen, in quibus conve-

conveniunt, licitum est, probabilem conjecturam petere, unumque ex altero discere ac docere; cui sententiae suffragantur sequentia Sebastiani Schefferi verba, quæ leguntur in *Introduktione ejus in Universam Artem Medicam*, sub præsidio D. Conringii editâ, (cap. 4. thes. 8.) pag. 86: *Certum est, usum actionemque Humanic corporis neminem perfectè addiscere posse, nisi reliqua Animalia aliquo modo etiam cognita habeat; ratione hujus non obscura, utpote quoniam nemo rectè scientiam aliquam sibi paraverit, nisi exploratis omnibus affectionibus in adequato subiecto, simulque differentiis & similitudinibus cognitis.*

§. 3. Immò multa, quæ in diversis Animalibus videntur diversa, *Dissimilia* tamen penitus non sunt; sed quemadmodum in Mineralibus Aurum & Argentum splendore, Ferrum & Æstinnitu, plumbum & stannum malleabilitate, crystallus & Adamas perspicuitate, Antimonium Miniumque pondere, & Magnes deinceps ac Succinum ratione attractoriæ virtutis haut leviter inter se conveniunt, ut Experimenta proin in alterius habita, ultrò citroque sàpius succedant: ita in variis quoque Brutorum ac Hominum partibus magna quidem Varietas habetur; si tamen Curiositatis ergò seorsim vel Ventriculos eorundem, vel oculos, vel linguas, vel splenes, vel Intestina, vel Epata, ad se invicem conferas, Ingenio duce, comite Judicio, magnaque animi voluptate pedissequâ, videbis, non obstante diversitate multiplici, quæ in Parte aliquâ diversorum Animalium habetur, Polydælam rerum matrem, Naturam, nihilominus expressissime peculiarem aliquem Conformatitatis characterem, quo, tanquam Hermete, sine digito tamen aut voce, de similitudine Usûs ac Functionis informemur.

§. 4. Exemplis specialib⁹ rem illustrare foret operosum, si vel solos Ventriculos Animalium antè dictos consideres, ex quibus

bus alii plus, alii minus carnosí sunt, alii rugosi plus minusve, alii angustissimi, alii valde ampli, alii lapillis ingestis ob usum certum conspicui, ut Avium, reliqui fabulo carentes, alii deniq; simplices, & utrem quodammodo referentes, alii duplices, triples, & gulosi: qui tamen omnes in eo conveniunt, quod membranosa fibrosaque particularum constitutio in iis prævalet, quia communi officio in Opere nutritionis destinantur. Aut, qui eodem scopo *Intestina cæta* diversorum Animalium perpendet, nihil non ibi quoque inveniet, quod præsentis asserto fidem addat. Ut taceam, quām simili Artificio Natura uisa sit *in Uteris*, *Fœtuque Es* *Pullis* animalium conformandis; ex quorum accurato intuitu *Hariacus* tandem coactus est dicere, omnia Animalia ex Ovo generari. Insuper *Capitis* figuram *Severinus* exempli loco asserit, qui (part. 2. Zoot. Democr. cap. 1. pag. m. 98.) videatur, addendo, quæ addit paulò post, (pag. 102.) de Hominis conformitate cum Simiis, Avibus (pag. 103.) & in genere tam l. d. quam cap. 2. (pag. 115.) de Hominis ejusdem conferentiâ cum reliquo genere Animali.

§. 5. Atque ob hanc *Corporum Analogiam* factum, ut jam à prisco tempore existent, qui Bruta (præsertim sanguinea,) ad Anatomen, vel Medicinæ totius, subjectum pertinere, sint professi; & nos bodienum, imprimis, quod sufficiente cadavrum Humanorum copiâ plerumque destituimus, necessariò Animalium ratione carentium, Sectiones frequentemus, à quibus disertè etiam Galenus & Ruffus Ephesius (lib. 1. c. 2.) incipendum esse universum Anatomicum studium statuunt.

§. 6. Priorum ordine, h. e. ex quorum sententiâ non solùm Corpus Humanum, sed Brutum quoque ab Anatomico ac Medico tractandum sit, nominatim steterunt *Autores Medicina Veterinaria, vel Mutilomedicina*, medelam Homini æquè ac

Bruto conferentes; quorum vestigia posteris seculis dein sequutus est Job. Philippus ab Ingrassiâ, natione Siculus, magni *Vesali* spectator primùm in Gymnasio Patavino, hinc Medicinæ Professor Neapolitanus; ita enim de Eo habet paulò superiùs allegata *Introductio Conringii* c. i. thes. 4. *Mulomedicinam*, quod *bec* in multis cum nostrâ propriè dictâ Medicinâ conveniat, unam eandemq; cum illâ Artem constituere, singulari libro ostendere est conatus, utramque etiam professus, quemque muli ex recentibus sequuntur. Et sanè fuit is sine dubio Vir doctissimus, & ingenio subtilis; cuius memoria proin tali *Inscriptione* est exornata, teste *Petro Castellano* in *Vitis Illustr. Medicorum*, (pag. 208.) PHILIPPO IN-GRASSIÆ, SICULO, QVI VERAM MEDICINÆ ARTEM ATQUE ANATOMEN PUBICE ENARRANDO NEAPOLI RESTITUIT, DISCIPULI MEMORIÆ CAUSA P. P. M. D. Clarissimus Laurembergius pariter (in portico Æsculapii, cap. XI.) tanquam pro aris & focis evincere vult, ab adæquato Medicinæ subiecto Brutum non excludendum esse; ita tamen, ut Principatus Humano corpori relinquatur.

§. 7. Italicè *Mulomedici Hippiatri*, vel *Veterinarii*, *Marescalci* appellantur, quemadmodum passim, sic *sigillatim* apud *Tarduccium Salvi*, cap. i. *Chirurgi* sui; quem libellum, nisi jam Latinè redditum, Romano idiomate loquentem promainit. Immò jam pridem quoque in Latium transsumtam *Marescalorum* voculam video apud *Lanfrancum* cap. i. *Chirurgiæ* compleæ vel magnæ, ubi hæc leguntur: *Cum dicitur in Humano corpore, dicitur ad differentiam Marescalorum, qui circa bruta cum manibus operantur.*

§. 8. *Posterioris* ordinis sunt, qui unquam ex artificiosa ac manuali Brutorum analysi, laudem aliquam sunt nacti; nominatim penes *veteres Gracos*, *Demoeritus*, magni Hippocratis

cocta-

coætanens. Qui *Democritus*, quod ad *Animalia variii generis* eò quietius evisceranda, & inveniendam in iis sedem affectum, seorsim à vulgo se recipiebat, pro delirante ab Abderitanis habitus est, ipso multò magis mente captis; de quo negotio **Vide Epistolas, quæ Operibus Hippocratis annexuntur.**

§. 9. Longè post hujus tempora *Herophilus* & *Erasistratus*, revocatâ ex diuturno stertore Medicinâ, in Zootome usque adeò versati extiterunt, ut transcendendo ad humana cadavera, vivos denique etiam fures & latrones incidere non dubitarint, gratâ Analogias specie illecti.

§. 10. Omnibus verò sui seculi Anatomicis *Galenus*, Natiōne Græcus, Romæ præripere visus est, ut ex Scriptis tām ejus, quām aliorum, affatim patescit, Simias, Porcos, Canes, eò quod hæc Homini censeret quam simillima, frequentissimè incidit. An Humana quoque cadavera; de eo *Vesalius* dubitat, ipsum proin in Scriptis suis hinc inde carpens: quām bene vel male, quæstionem eam nunc quidem missam faciemus. Hoc tamen (pro Scopo præfente) quodammodo videtur mirum, quod, dum ipse *Galenus* (6. Anat. 6.) habitas à se Sectiones animalium vivas amplius DC. gloriatur, &, quod ex iis pluscula à pastu inciderit, Venas Lacteas tamen non observarit.

§. 11. Cæterū neq; *Aristoteles* nobis hīc est silentio dimittendus; qui facile in cognitione descriptione que Animalium aliquid præstare potuit, quia Regia liberalitas Alexandri M. nihil non sumptuum & Animalium, clarissimo Philosopho ministravit.

§. 12. *Ex Recentioribus Aristotelii felicitate par*, industriaque non minor, sed ingenii acumine, gloriāq; Inventorum citra dubium major in *Anglia* nostro tempore inclaruit *Harrēus*. Hic enim quantum in Zootome præsertim profecerit,

eruditissima ejus de Circulatorio motu Sanguinis, & Generazione Animalium, Scripta sat testantur.

§. 13. In Gallia Rondeletius, Monspeliensis, (*Fallopii οὐγγαρεῖον*) vir æquè doctissimus, non parum quoque de re Zootomica meritus est, conscripto de *Piscibus* opere penè incomparabili, utut, quæ ibi traduntur, ad Philologicam, Historicam, & Grammaticam petitæ Humanæ partem spectent præcipue, & istis studiis conductant. Novissimis verò temporibus iteratæ in Animalibus exercitationes manuales, *Johanni Pecqueto*, ad inventendum in Homine tandem ductum Lacteum Thoracicum, Portam gloriae augustissimam aperuerunt.

§. 14. In Italia Aquapendentis ingenium usque adeò frequentata Animalium Inspectiones ad avia duxerunt, ut denique ausus sit, præter alia scripta, ævo satis digna, peculiarem librum etiam de Brutorum Lœquelâ conscribere; cuius editione autem nescio, an non commiserit aliquid, Autoritate Medici Patavini valdè minus. Deque in usitatis *Aldrovandilabore*, in omni Naturæ Regno excutiendo & describendo, idem fetendum judicium arbitror, quod de *Rondeletio* est latum. Sed imprimis *Astellius*, ex multiplice sectione Canum, hincque orto Invento egregio de Lacteis Mesaraicis, famam nominis æternam viæ Lacteæ adscriptis. Cujusmodi illustres in Re Anatomicâ viros quidem recensere fortasse non opus est, quia merita illorum autoritatem Canonis jam sunt nacta: dignum tamen & justum videtur, memoriam eorum datâ etiam hâc occasione celebrare. Quibus proin *Marcum Aurelium Severinum* non immerito addimus, perscripto elegantissimo Zootomes Democritæ opere, prægressâq; quampluries manuali Brutorum analysi, & Chirurgicâ laude clarum; illustre sc. illud quondam, & primæ magnitudinis sidus in Neapolitanâ Medici cœli parte.

parte ; ut de *Marcelli Malpighii, Fracassati*, ac aliorum hodie obseruationibus rarissimis nil addam.

§. 15. Sed & piaculum foret, in *Dania* in super Famigeratissimum, & omni Anatomicâ laude planè majorē *Dn. D. Thomam Bartholinum*, Fautorem meum honoratissimum, siccō pede præterire : quin confidenter omnimodè, de tanto *Viro*, clarèq; est pronunciandum, Augusta *Ipsius* in Remp. Medicam merita, & eruditè toties, magnòque cum applausu REGIS Sui ac Procerum, susceptas in universo propè Animalium genere extispicinas, non commendationem ampliùs, sed stuporem & admiracionem promerer. Ac *Stenonis* laudes hāc ex parte non parum quoq; approbat dignissimus currentis seculi applausus.

§. 16. In *Sueciâ* verò qui hooienum agit *Olaus Rudbeck*, viringeniosissimus, alicubi (nisi fallor, in Libello, *Insidia structæ dicto*) refert, se tantum quandam in Belgio eruditis ac artifosis Bruticidiis vacasse, ut brevi totum quasi *Canum genus* ibidem perdidérer; ac notanter ibidem (membr. 9. pag. 97.) ait: *Possum in conscientiâ affirmare, me spacio quasi 4. annorum præterpropter quadringenta animalia incidisse, nescio quâ voluptate me rapiente ad hoc studium.*

§. 17. Et quid non gloriæ denique in *Belgio* à multis annis ex simili studio, ingenio, ore, cultro, pennâ, nactus jure meritissimo est idem, qui præsentem scrupulum benevolè mihi ingessit, *Nobilissimus, Amplissimusque Dnus D. Johann van Horne?* Clarissimos enim quosdam *Germania superioris* Anatomicos, *Sal. Albertum, Rolfinium, Schlegelium, Job. Theod. Schenckum, Maurit. Hofmannum, Lyferum*, &c. consultâ in communem Patriam verecundiâ transgredior. Istius itaque *D. Hornei* Meritis, si nullum aliud accessisset æstimatisimi sui in me favoris *leximègion*, cur valdopere obstrictum me censerem, & cur

suâ Autoritate etiam studio Zootomico egregia lux accrevisset, solum hoc foret instar omnium, quod vix elapsum ex Typographeo *Prodromum & Inventum Chirurgia mea Infusoria*, antequam apertissimam suam de eo sententiam perferret, dignatus est, ad examen priùs, & factum à se aliquoties in Canibus, experimenti periculum referre.

DUBIUM XI.

Inventum non esse novum, quia conveniat cum rebus in veteri Medicinâ tritis;

Cum Clysteribus videlicet, & quibusunque aliis *Injectionum Modis*, utpote in quibus jam à Priscorum tempore receptum fit, injicere medicamenta liquida (aut flatum etiam) partibus variis, eaque per canalem angusti orificii, certo manu regimine, ad corporis intimiora, scopo recuperandæ Valitudinis, derivare. Quod dubium equidem, uti superius tertium, à nemine alio de industriâ mihi motum est: evidens tamen ejus ratio est in promtu; & simile Inventum meo, D. Eisbolius *Clysmatica nova* titulo non venditasset, nisi de *Clysmatica Veteri*, quæ peragitur injectione in alvum aut uterum, plenæ jam omnes Medicorum Bibliothecæ pridem extitissent. Immo quid aliud præterea, quam præsentis Dubii hujus XI. summam concernunt, quæ huc etiam trahi possunt, clarissima illa D. Bartolini verba, quæ allegata in assumptione statim Dubii l. vide. Ad quæ continuo etiam pro ingenii modulo responsum est, quantum ad nomen Inventi attinebat: sequitur nunc, ut Rei ipsius vel novitatem, vel commercium cum rebus antiquioribus, hic declaremus,

RESPONSI.

Breviarium. Clysterum usus antiquissimus, an ab Ave, ibi, inventus? §. 1.
 Avis hæc Ægyptiis olim sacra: & qualis, ac quotuplex? §. 2.
 vel potius, an ingenio hominum inventi, babitâ ductus Intefinalia ratio-
 ne? §. 3.

Clysterum usus multiplex, §. 4.

ad Evacuandum, §. 5.

ad alterandum, §. 6.

ad Dolores tollendos, & Nutriendum? §. 7.

Abusus Clysterum prohibitus. §. 8.

Clysteribus cognatae aliae postea à injectiones, §. 9,

(I.) Scopo merè-practico, Clysteres Uterini: §. 10.

Liquorum in Vesicam immissiones: §. 11.

aut in sedem suppuratae Pleuritidis, §. 12.

& vulnera partium profundiora. §. 13.

(II.) Scopo Theoretico, in Anatomie, ad investigandos meatus partium ob-
 scuriiores, §. 14.

Flatu oris adhibito, aut Folle, §. 15.

vel infuso liquore præsertim, p.g. Latte, autore Borello, §. 16.

aut aquâ simplici, Elsholtzio autore, §. 17.

aut Santali Tincturâ, juxta Autorem hujus operâ. §. 18.

Reassumptio Dubii presentis, §. 19.

& brevis Responso ad idem. §. 20.

Chirurgians Infusoriam cur Veteres facile potuissent invenire? §. 21.

Obiter de Cleopatra; §. 22.

Spiculis barbarorum, toxicò infectiù, §. 23.

& Scarificatione malitiosa. §. 24.

§. I.

UTique Clysteres jam antiquissimum Medelæ genus sunt, pè-
 nes Ægyptios primùm inventi ab Ave quādam ibi, ex eo,
 quod hæc ciborum onere gravata, rostrum alvo immittens,
 sicque naturam ad excretionem sollicitans, Humanum genus
 do-

docuerit, Clystere alvum perluere, & claustra ejus reserare. Ita enim Plinius lib. 8. cap. 27. Simile quiddam (h. e. ut bruta in Medicinâ quid invenerint) & volucris in eadem Ægypto monstravit, quæ vocatur *Ibis*: rostri aduncitate per eam partem se perluens, quâ reddi ciborum onera maximè salubre est. Heurnius (lib. 1. prax. Med. p. m. 7.) infert, Ibin priùs Rostrum Aquâ marinâ replere; sed nullam asserti hujus Autoritatem adjicit, quem defetum tali pacto complemus: In Versibus Jambicis Græcis cuiusdam, Phile dicti, qui poëma suum nūcupavit Michaëli Palæologo, Imperatori Constantinopolitano, Latinitate à Gregor. Bersmanno redditum, quod est de Proprietate Animalium, Cap. 15. hæc leguntur :

*In littore ibis victimum amat conquirere,
Quo ventris implet tortuosa volumina:
Sed exitus arctatur hoc angustia,
Caloris illum prestruente incendio.
Obstructionem autem ipsa solvit callidè,
Geritque Clysteris vicem oris aduncitas,
Quo ventris infundens cavo SALSUGINEM,
Excretiones humidas ani ciet. &c.*

Salsuginem dicit Bersmannus doctissimus, ex Græco ἄλυην: quo abstracto pôeticè concretum, h. e. Mare, vel Aquam Marinam, Salsidine præditam, certissimè intelligit.

§. 2. *Has Aves itaque, quod dictæ Ægypto quasi propriae fuerint, notanter Agricola* (de Subterrani. cap. 3. p. m. 6.) *Ægyptias appellat. Immò Sacras eidem possemus dicere ex Herodoto*, quia teste eodem, (lib. 2. p. 50.) *Ægyptii Bestias omnes regionis suæ sacras habuerunt. Additque expressè verba hæc: Quisquis Ibin aut Accipitrem necaverit, sive volens, sive nolens, necessari morte afficitur. Causamq; tanti honoris refert fuisse hanc,* quod

quod ad volantes ex Arabiâ serpentes alatos interemerint, postquam cum iis priùs acriter pugnarint. Confer Plinium lib. 10. cap. 28. illarumque species duas Herodotus constituit, collilongi; sicut Heurnius etiam l. d. Ibides ait Ciconia hanc dissimiles; cum quo confer idem habentem Polydorum Vergilium lib. I. d. Rer. Inventor. cap. 21. in quo fusiūs pertractat, quâ ratione Homines hoc & alia jâ Brutorum exemplo ad usus proprios derivarint.

§. 3. Aut verò (verba D. Conringii sunt, cap. II. d. Med. Hermet. pag. 99;) se felicit nos Diodorus; aut Clysmata illa, ut *Clysmata*, Diodori aeo nimis in frequenti usu fuerunt Ägyptiis; id quod ex Herodoto quoque refert Heurinus antedictus. Ägyptios nempe singulis mensib⁹ per tres dies continuos potionibus usos, clysmis, ac vomitionibus, sicque suisse sanissimos, ductos videl: ad hoc genus inventionis nisi ab Ave suâ Ibide, sponte tamē facile, habitâ ratione ductūs viarum in Intestinali corporis regione.

§. 4. Et certè, ut cum eodem Heurnio loquar, (pag. 9.) nulla corporis pars est, qua utilitatem à Clystere, ritè dato, non sentiat. Ad summum verò, si tantum illorum, tamque multiplicem usum distinctim consideremus, in quatuor Classes, boni ordinis ergò, distinguuntur, ut alii dicendi sint *Evacuatorii*, alii *Alterantes*, alii *Anodynai*, alii *Nutrientes*.

§. 5. *Evacuatorii* duplices sunt, vel *Flatuum*, vel *Humorum*. Et quidem quos *Flatibus* educendis assumimus, *Carminatio* salio nomine vocamus, constantes ex Decocito specierum discutientium, vel *Lacte*, in quo Anisum, Foeniculum, Carum, &c. ebullierint, electuario de baccis Lauri, Hierâ, oleo rutæ, & similibus, Colicæque domandæ oppositis. *Humores* superfluos qui evacuant, iterum duplices sunt, vel *Lenientes*, elu-

ēndæ alvo videlicet, transpirationi partium interiori promovendæ, & sic Febris qualibuscunque symptomaticis declinandi destinati, paratique ex rebus Emollientibus, in Calculo cæteroquin etiam utiles: *vel solutivi magis, & acriores,* ex rebus vête purgantibus compositi, ut scil: paulò altius potentiusque agant, quando ex gr. Senes aut pueri, aut aliâs Languidi delicate, non admittunt usum internum medicamentorum purgantium.

§. 6. Alterantes itidem varii sunt, pro variâ Indicantium ratione. Imprimis verò vel *Refrigerantes*, e. g. ex herbis succulentis, *Lactucâ*, *portulacâ*; *vel foliis cucurbitæ*, *melonum*, *cucumberum*, *eorum vè seminibus*; *Rosis item*, *Violis*, &c. parati, ad temperandum calorem anomalam in Febris continuis tām mitioribus, quām malignis; suffragante *Julio Cæs: Claudino*, qui (lib. 2. d. ingress. ad Infirm. Sect. 2. c. 5.) ait: *Quin imò in Febre ardenti licet, eos actu frigidos injicere.* Aliâs autem tepidi paulum applicantur. Vel *calefacientes*, contrariæ partium Intemperiei oppositi; ad quos per accidens spectat *Inebriatio*, quam in muliere quadam abstemiâ, post injectum Clystere vinum, subsequutam fuisse *Borellus* refert cent. i. observ.

§6. *Vel Exsiccantes ac detergentes* ex: gr: ex *Lacte*, *Decocto hordei*, *syrupo de Rosis* sicc: melle rosato, &c. additis pro re natâ etiam alexipharmacis, si morbus sit popularis, aut à qualicunq; malignâ causâ ortus fuerit. Vel *Adstringentes*, tonumque, quemvocant, fibrarum aut vilcerum, ex resolutione illarum amissum, in viam reducentes, & partem roborantes: *vel denique Glutinantes*, ex *vulnifaciis*, *sarcoticis*, & *balsamicis variis*, pro arbitrio Medensis facti.

§. 7. *Anodynî* vocantur, qui ex speciebus carminativis & narcoticis compositi, in contumacissimis interdum Ventris tor-

torminibus adhibentur; & Nutrientes, e.g. ex jure carnium, succo carnis expresso, cremore Hordei, ovis, Vino Cretico, Lacte, &c. quorum usus est in iis casibus, quando alimentum non potest accipi per os, aut id, quod assimilatur, non est sufficiens, ut in Anginâ, suffocatione luteri, &c. de cuiusmodi Clysterum efficaciam disputant Autores: inter quos, qui affirmativam tuentur, non equidem videntur omni suffragio orbandi, ob rationem unam ac alteram, à laudato paulò ante *Claudino* (ibid. sect. 3. cap. 2.) in medium prolatam: cui imprimis junge accuratissimum *Celeberrimi D. Sennerti*, de quæstione, *An Clysteres nutritre possint*, judicium, lib. 5. Inst. Med. part. 2. lect. 3. in fine capititis 4. ubi Nutritionem perfectam quidem negat, Refectionem tamen (*Nutritioni analogam*) aliquam concedit.

§. 8. Qualis verò ac quantus *Clysterum* usus ullo ævo exstitit, tantundem ab *Abusu* iidem penitus immunes esse non potuerunt: sed videntur veteres Medicastri iidem quandoque non ad juvandum, sed nocendum, quoque usi, ut iuxterdicto dein opus fuerit, quod exstat sub nomine *Ulpiani*, L. 9. §. 1. ff. ad Legem Aquil: his verbis: *si quis per vim vel suasum Medicamentum alicui infundit vel ore vel clystere, vel si eum unxit malo veneno, Lege Aquiliæ tenetur.* Ubi obiter nota, quia Voci *Clysteris* in hoc loco, *Infusionis* vox addita est, me hoc pacto affatim habere, quo titulum *Chirurgiaæ* meæ *Infusoria* possim defendere, tanquam nullatenus illatinum vel barbarum & *Fœsius* in variis locis, quando *Hippocrates* in libro d. ratione *Victus in Acutis*, *κλυσμα*, vel *κλύσμα*, mentionem facit, solas has voces his tribus familiariter circumscribit, & *Infusum* per *Clysterem* nominat.

§. 9. Cæterum crescente sensim Medicinâ, eaque ex Egypto & Asiâ successu temporum in Latium translatâ, hinc-

que, posteriorib^g, seculis præsertim, per reliquas Europæ provincias feliciter propagatâ, ad imitationem Clysterum vulgarium *Injectiones in alias Corporis partes quoque tentatæ*, & bono ut plurimum cum successu administratæ fuerunt; quas verò hodie in duas classes distinguere possumus, quia *Injectionibus his, alias merè practicis*, per curiositatem currentis seculi aliud quid accessit: hoc videlicet, ut quædem etiam solo cognitionis & scientiæ scopo suscepta peragantur.

§. 10. Priores itaque quod attinet, seu merè *Practicas*, & consequendæ humanæ Valetudini litantes, sunt e. g. *Clysteres Uterini*, ab Alvinis illis non tam instrumenti formâ, valdopere diversâ, aut modo applicandi, quam solâ, cui applicandi sunt, partë & qualitate liquoris contenti, discrepantes. Ususque illorum est in *Inflammatione*, *Flatulentia*, *Exulceratione*, *Dolore Uteri*; *Mensibus nimiis aut parcis*; *Secundinis*, post partum difficilem, retentis, & corruptionem jam passis, cum tracto plerumque in commercium extinctionis Balsami nativi, Utero.

§. II. Nec non *Vesicæ interdum* & *Peni* liquores certi immittuntur, ad Vesicam ab Humoribus viscidis eluendam, dolores exulceratæ utrethræ mitigandos, ulcusque ipsum abstergendum & consolidandum; de quibus vide, qui nobis est instar omnium, *CL. Sennertum* (l. paulò antè d. part. 3. sect. 3. cap. 26.) & adde *Rondeletium*, quo Autore non inelegans quoque *Injectio in Penem*, ex Decocito Hordei, Rosarum, Lentium, corticum Cucurbitæ, Mali Granati, Aquâ plantaginis, & Ovi albumine, contra Ulcus ipsius Vesicæ, habetur apud *Cratoxem* consil. Med 197 p. m. 575.

§. 12. Nec minoris momenti (nisi majoris) porrò est illa, quâ Chirurgi exercitatores quandoque *in suppuraçâ Pleuræ* utuntur, *cucim thoracis* incidendo, vel caustico, circa costas

stas spurias affixō, eandem perforando, hinc dextrè tendendo ad partem affectam ope Styli exploratorij; dein PusSiphone extrahendo, inque hujs locum Medicamenta mundificantia temperata, & balsamica, simili, quo pus educebatur, instrumento per vices derivando; postquam videlicet *Pleuritis* illa nec *Tussi*, nec diuresi, nec alvi solutione, nec ullō alio Naturae cooperaticis auxilio, ad finem desiderabilem pervenit. *Iconem Instrumenti* vide apud *Josephum Schmid*, in libello d. Instrumentis Chirurg. figur 62.

§. 43. Sic denique *liquores certi in Vulnera quoque profundiora Nervorum ac aliarum partium interdum infunduntur*. Quo Scopo *Sebast: Mayerus* (select. Physico-Med. sect. 2. cap. 20. p. m. 139. sequ.) *Balsamum liquidum ex oleo veteri, Terebinthinâ, Hyperico, Thure, Valerianâ, &c. compositum*, atque dein per siphonem, more clysteris, immittendum, non satis laudare potest, suffragio nitens trium Celeberrimorum in Re-Medicā Virorum, *Aquapendentis*, *Schenckii*, & *Riolani*. Quibus adde, si placet, aliū *casum vulneris profundoris*, ex *Franc. Plazzonō*, *Patavino*, qui ex decreto *Senatū Veneti*, tempore cuiusdam belli *Forijuliensis*, *Medicus Castrensis* constitutus est, & librum poste à pereruditum conscripsit de *Vulneribus Sclopetorum*. In ejus capite 33. p. m. 153. Autor mentionem suggerit instituendæ curationis, *si quis Scopeto in regione abdominis latus sit*, ita, ut vulnus penetret in cavitatem, atque, præmissâ extractione rerū omnium extranearum, suadet, *injiciendum Siphone medicamentum esse*, ad modum *Lotionis*, paratum ex Vino albo subdulci, in quod decocta sint folia *plantaginis*, *rosarum*, *portio Boli Armeni*, *Terræ Lemniæ*, & *Theriacæ*. Et quidni præterea hic nominem quoque *Elixir magnum Fioravanti*, celebris præterito seculo Chirurgi in Italia, quod sum-

mo cum Sanitatis successu *Vulneribus infusum*, obseruasse Venetiis se, cum comite itineris, CL. D. Godofr. Tiefio, refert lectissimus *Sachs*ius meus, in literis ad me, suprà (p. 36. & 37.) quidem allegatis; ex quibus tamen verba sequentia ibidem non transcripsi: Si Q. E. aut *Elixiria*, in *Vulnera infusa*, tām proficia sunt, *Sanguinem concrecentem dissolvendo*, *labia mundificando*, *robur parti lata addendo*, ut facilius se uniat; quidni & tali Q. E. tentari posset *Injectio in Venam*?

§. 14. Scopo Theoretico autem, & solo cognoscendi ac demōstrandi veritatem in rebus studio, quæ noviter accesserunt, vel per Curiositatē Anatomicorū hucusq; ad usū frequentiū revocatæ sunt, sunt *Injectiones illæ*, quæ in corpore Humano aut Bruto, ad per vestigandos meatus variarum partium, & ductūs Venarum, Arteriarumque obscuriores, non sine artificio, peraguntur, impellendo videlicet per tubulos subtile斯 aut canaliculos, Auram aut *Flatum ex Ore* aut Folle, vel *Liquorem etiam qualemcunque*, ut ex ingesto hoc, viæ obscuriores turgeant, & ad conspectum perducantur.

§. 15. Hoc fine CL. D. Tb. Bartholinus (ut alios plures taceam) non semel subtilissima *Vasa Lymphatica*, à Se & Rudbekio inventa, folle inflabit, & videnda exposuit oculis, quæ deplena alias Liquore suo, effugient conspectum. Vide Ejus libellum perelegantem de Vas. Lymphat. cap. 2. in fine: & cap. 6. itidem sub finem. *Idem in Medullā spinali*, per fistulam, flatu tentatā inquisivit, an jamdictæ medullæ insit sensibilis quædam cavitas (imprimis in Centro illius aut medio) quæ sive succum Nutritium, Nervis assignatum, sive fluctuantem Lymphæ ullius laticem reciperet, ut ex laudati Viri spicileg. i. d. Vas. Lymph. cap. 3. p. m. 18. & 19. videre est.

§. 16. Et porrò commemorationem non exiguum meretur

meretur *Anatome illa Infusoria*, quâ Petrus Borellus, Medicus Galliæ clarissimus, ad prosequendos latentiores Vasorum ductus, in Pueri cujusdam Placentâ Uterina, *Lacte usus est*, ut constat ex Illius cent. 4. obs. 6. & in Prodromo meo jam id experimentum, (§. II. 26. & 30.) allegavi.

§. 17. *Aqua simplicis* verò calentis, libram unam vel alteram, *Clariss. D. Elsholtius* arteriæ axillari descendantem in brachio dextro Fæminæ cujusdam, undis extinctæ, Berolini, Ann. 1661. per siphonem injecit, factaque prius ligaturâ experimentum se ait (in secundâ Clysmaticæ novæ editione, cap. 2. pag. 67.) venas omnes ultra Ligaturam, præsertim verò in cubito, turgere visas, quia recursu Aquæ ex Arteriis facto, replerentur; unde is primam *Clysmaticæ sua*, vel *Artis Enematicæ*, inveniendæ occasionem nactus fuerit, & Anastomoses Venarum & Arteriarum, Circulatorio Motui sanguinis inservientes, (ingeniosissimè sanè) comprobandi.

§. 18. Ego alias animi gratiâ, atque ad explicandam Circulationem particularem Sanguinis, *Tincturâ Santali* rubicundissimâ uti soleo, eamque infundere Reni alicui, pulmoni, spleni, aut Epati Animalium, factaque profundâ incisione istorum viscerum, rapidissimum transitum Liquoris per Arterias ad minima usque, declarare.

§. 19. Hæcque hactenus Ideò dicta sunt, ut liquescat, quâm nullatenus hoc negem, *Chirurgiam Infusoriam* aliquâ ex parte Analogiam habere cum rebus quibusdam in veteri Medicinâ notis. Quin hoc potius pro ipsâ facit, quia sic tanto minus absurditatis convincetur, ut jam pridem in Prodromo (§. 19.) dictum est. Si planè nihil haberet similitudinis, ob merâ istiusmodi novitatem multo magis fortasse plusculis displiceret, dictutis cum Roderico à Castro (Med. Polit. lib. 3. cap. 2. p. m. 115.) Non minus

minus peccat, qui novas inutiles Artes invenire presumit, quam qui novas epulas, novas vesteſ, & novos ludos.

§. 20. Sed præterea & hoc tenendum, quod simile non est idem. Chirurgia Infusoria dum ab unâ parte cum Clysteribus communiter notis, & Injectionibus aliis convenit, ratione videlicet instrumenti quadantenus, & modi, tractandi illud: ab alterâ parte vicissim discrepat, & novis medendi præsidiis annumerari promeretur, ratione Liquoris qui infunditur, parti um Corporis, per quas transfertur, & Scopi denique, qui maximè omnium distinctionem parit à reliquis scopis *Vena sectionis*, ex Canonica Veterum Medicinâ cogintis, qui erant ad summū duo, *Depletio* & *Refrigerium*. Hodie enim tertius addendus; *Impletio*, Evacuationi opposita. Confer identidem Prædromum, in paragraphi 33. fine.

§. 21. Ac præcisè insuper ad idem Inventum, ad eandem, inquam, Chirurgiam Infusoriam meam, vel Clysma tiam Elsholtianam, Veteres Medicos pridem delabi potuisse, nullatenus impugno. Eosdem tamen in hoc medendi genere quid tentasse, memoriâ vix ullâ constat. Quin, quod actu eò de-lapsi non sunt, istud vel negligentiae illorum, vel teneritudini Artis, & peculiari Fatorum arbitrio tribuendum puto, ut ut occasionem lotigè pulcerrimam habuerint, faciem exempli ip-sis prælucente non Analogiâ solùm, ex artificio huic usque Clysterum vulgarium régimine deductâ, sed velex ductu Naturæ spontaneo, quo facile discere poterant, quemadmodum *Venea*, morsu bestiarum vel Teli infecti vulnere illata, celerimo motu Venas transeunt, brevique temporis spacio uni-versam massam sanguineam lethifero, ut sic dicam, fulmine perstringunt: sic per vias easdem patere transitum, quo Medi-

dica-

dicamenta interdum summiè salubria, parvâ dosi, ac sine morâ, ad regiam Cordis transferrentur.

§. 22. Hoc est, quod apud D. Bartholinum (Eistol. suprà cit. §. 10. pag. 66.) Thomas Broune contra Antiquitatem docuit, Cleopatram, Aspidem non cordi, sed Bracchio debuisse admovere, ut Sanguis ab aspide infectus, cito Cor quoque inficeret. Et directè magis ad sensum jamjam prægressi 21. paragraphi Excell. Dn. D. Horstius, in Judicio quoque suò Epistolico (suprà, §. 3. pag. 40.) Non memini, inquiens, me legisse unquam, Vena Sectionem Ingestionis gratia à Veteribus adhibitam. Ephirai docuerunt Siculos, sagittis veneno imbutis per vulnera inficta intermere, &c.

§. 23. Ephirai autem indubie dicebantur populi, incolentes insulam quandam Græcia, in Argolico, dictam Ephiren, quam Plinius lib. 4. c. 12. cum quibusdam aliis recenset. Item lib. 6. c. 29. de Arabibus quoque quibusdam ita ait: Quin et commercia ipsa infestant ex Insulis Arabes, Ascita appellati, quoniam bubulos utres binos sternentes ponte piraticam excent sagittis venenatis. Fuisseque hunc morem, sagittas inficiendi, quemadmodum Getis ceteroquin apud Ovidium, Parthis apud Lukanum, & Æthiopibus apud Claudianum, sic quibuscunque barbaris aliis familiarem, ex scriptis hinc inde constat; notumque tritisimum illud Horatii lib. 1. Od. 22:

Integer vita, scelerisque purus,
Non eget Maurij aculis, neque arcu,
Nec venenatis granda sagittis,
Fusce, pbarerà.

Venenum vero, quo illi spicula tingebant, famosè dicebatur Toxicum, autore Plinio lib. 16. cap. 10. in fine, Egineta (apud Hadr

Zunium in Lexico) & Job: Gorreo, notis ad Nicandri, Poëtar & Medicis antiquissimi, Alexipharmacæ, p. m. 36. b: Quamvis, quid Toxicum propriè aut in specie fuerit, sit incertum, immo vix dignum scitu amplius, censente eodem Gorreo, qui hæc verba addit: Nec paenitendum quidem est, veneni tam pernicioſi notitiam periisse; sed seculo potius nostro gratulandum, id genus deleterii teter rimi, quod prioribus seculis tam notumerat, & usitatum, ut aliquam ipsius descriptionem afferre antiquos pigeret, nunc prorsus ignotum esse. Denique ad Americanos quoque posteris seculis transiisse malitiam hanc, tela veneno imbuendi, & mortis causam redendi geminam, ex Navigationum, in Novum Orbem, Descriptionibus strictim, sed valde convenienter, suggerit Nobilissimus D. Elsboltius, in editione secundâ Clysmaticæ suæ novæ (modò mihi missæ) sub initium capit. 9. pag. 49. Quibus omnibus adde, quod, juxta Grotium (lib. 3. d. Jur. B. & P. c. 4. §. 16.) ista Armorum infectio tamen sit contra Jus Gentium, nisi Universale, Europæarum certè, & siquæ ad Europæ melioris cultum accedunt.

§. 24. De Sarificatione verò malitiosâ (similiter damnosâ, quod virus inflictum facile ex venis subcutaneis ad intimiora corporis permeat, adjutum vehiculo sanguinis, in orbem dilabentis) vide D. Horsium, paulò antè hic loci allegatum.

DUBIUM XII.

Vel: Inventum Chirurgiae Infusoria esse nimis novum;
ET planè diversum à scopo communi Venæ sectionis; uti partim in Responsonis jamjam exactæ §. 20. & Prodromi mei §. 32, ip-

§. 32. ipse innui; partim infrà, (Dub. 79.) loco magis proprio, repetetur. Quocirca uberior

RESPONSIΟ

ad enodationem modòdicti Dubii 79. de industriâ differtur.

DUBIUM XIII.

*Immò periculosam, quoniam misâ (Infundendi Li-
quoris ergò) vel minimâ parte Sanguinis , vires
Ægri projiciantur.*

Quid minus, quæso, sanguinis educi possit ex Venâ aliquâ sectâ, quâm unæ vel alteræ ejus guttulæ? In Conclamatis verò consultò jacturam hanc admittere, & quidem in talibus, quales Ann. 1664. in Prodromo meo propositi sunt, h. e. in Agonizantibus, Febre malignâ, cum exanthematum retrocessu, detentis, res fortè videtur, Conscientiam Medentis planè urgens, quia, ut objicit CL. D. Bartolinus, (epist. supracitat. §. 7.) addere (h. e. Infundere in venam) nibil potes, nisi una effluat Sanguis, cuius vel minima jactura in conclamatis exitiosa: gravior enim semper in paucitate jactura. Et c. quò etiam qualitercunque respexit Celeberrimus D. Jonstonus, dum in Epistolæ suæ ad me, §. 7. ita ait: *Hic nihil, nisi à sectione periculi.* Quasi dicant: Periculo non caret, Spiritibus balsamicis portam aprire, ut quantilli eorum fortè adhuc supersint, datâ viâ per quam facile ex jam languido ægri corpore expirent aut egrediantur.

RESPONSIΟ.

Breviarium: *Quatuor viae, quibus præsentî Dubio modestè obviam
itur, §. I.*

additâ bac quintâ, ubivis attendendam esse vel tolerantiam, vel insuetudinem Egroti. S. 2.

Consuetudinis longè maximavis. S. 3.

Malè verò Erafiskratus & Helmontius Venâ sectionis usum planè prescriperunt. S. 4.

Mors ex Venis spontaneò diaruptis, S. 5.

& quâ ratione? S. 6.

§. I.

Nisi dicendum est hic, quod trito proverbio circumfertur, quod *Minima non curet Prætor*; h. e. quod parum valdopere illud sit, quodcunque spirituum superstitum in Conclamatis quibusdam cum Sanguine è Venâ misso egrediatur: hæc certè qualemcunque Responsionis partem sibi, ad datam *Incomparabilis Bartbolini* objectionem, modestè vendicabunt. (1.) Eo ipso, quo Æger in Prodromo præsuppositus, post exanthe-
mata retrogressa, ex Sanguine congelascente jamjam Ani-
mam quasi trahit, nullum periculum est, ne ex venâ, tanquam
cistâ, apertâ ultimus vitæ obolus elabatur. Ubi enim penuria
est spirituum, spiritusque adeò pauci gelatinâ sanguinis præ-
tereâ obvolvuntur, non poterunt valdopere exspirare. (2.) Aut si exspiret eorum quid, exspirabit ex illis partibus Venæ,
quæ facto foramini proximæ sunt; vix verò ex remotioribus,
quia identidem obstat Sanguis crassior. (3.) Accedit, quod
tum in his, tum in aliis casibus, ne justo plus sanguinis emigret,
foramen venæ inflictum tantisper digito potest ac debet compri-
mi, leniterque compressum aliquandiu servari, usque dum
Instrumentum Infusorium applicabile sit. Quo facto, etiam-
si ne guttulas Sanguinis plusculas effluere concederimus, Ve-
næ tamen usque adeò plenæ aut farctæ non erunt, ut non
drachmam ferrè unam ac alteram, vel drachmæ, etiam dimidi-
dium

dium modò, liquoris alicujus generofissimi, possint recipere, & utcunque ad cor perferre, imprimis, si statim post sectionem venæ, e.g. cephalicæ, basilicæ, aut mediae, pars brachii, quæ proximè supra foramen factum est, debitâ ratione, stabiliq[ue] tantisper servato Instrumento Infusorio, jam applicato, (cujus anteriora & cutim, digitorum admotu gubernare tum convenit, ne quid vel sanguinis ex venâ, vel liquoris ex ipso, effluat) iteratâ vinculi latioris adductione, & adactu ejus valentio-
re versùs axillam, contrectetur: ita enim spaciū qualecun-
que intra Venam, à facto ejus foramine, usque ad regionem
axillæ depletur citra notabilem Sanguinis effusionem, & liquor
medicamentosus, quorsum decurrere possit, invenit. (4.) Si
nihilominus etiam presso pede Mors sequatur, quid tum? In Ex-
tremis enim & Conclamatibus extrema tentare, usque adeò nil
impedit, ut potius urgeat Amor Christianus, modò Opus sine
omni ductu verisimilitudinis, rectaque Rationis, non su-
scipiatur.

§. 2. Alioquin diffitendum haud est, Ægris etiam va-
lentioribus quandoque obesse vel minimam eductionem San-
guinis, ut ob insuetudinem Eorum & phantasiam fortissimam,
vel idiosyncrasian qualemcunque, facilè animo deficiant; im-
mò aliqui eorum, tūm inter Sanos etiam plusculi, ne adspe-
ctum quidem Sanguinis vel proprii, vel alieni, tolerent sine
insigni mentis ac virium perturbatione. Quapropter hoc
quoque præterea in Casu proposito præsupponitur, ut, si Con-
clamati, quid secum agatur, adhuc qualitercunque intelligant,
Vena infusionis ergò non nisi assuetis feriatur, prout jam in
Prodromo (§. 21.) inter Conditiones administrandi operis
notanter id reposui, in animo tum volvens communem Medi-
corum Regulam, quam pro scopo præsentis Responsionis his
verbis

verbis retrahere huc liceat ex magno quondam Germaniae
(nisi Europæ totius) Aëculapio, Sennerto (lib. 5. Instit. Med.
part. 2. quæ est de Methodo Med: sect. 1. cap. 17. pag. m. 1167. a:) In iis, qui Vene sectioni affueti non sunt, majori cautione opus est.
Multaque non Chirurgiam modō, sed alias qualescunque medendi partes spectantia, in quibus omnibus deceat Medicum diligenter inquirere in *Aegri Consuetudinem*, vide sis apud Hippocratem, passim in libro d. rat. vici. in Morbis Acutis, ac alibi.

§. 3. *Consuetudinis* enim quemadmodum in Republ. & Societate civili, sic in Oeconomia corporis Humani vel conservanda, vel resarcienda, est longè maximavis, ut pridem habita fuerit pro secundariâ quipiam Naturâ: inque Medendi Methodo nisi propriè Indicat, quid fieri debeat vel minus; proximè tamen, & tantò fortius vel coindicat, vel contraindicantibus suum robur addit, juxta Hofmannum, qui lib. 5. Inst. Med. cap. 40. §. 3. ex Galeno ait: *In Indicationibus Consuetudo habet secundum à Naturâ locum.* Immò palmare quodammodo supra ipsam Naturam gloriæ pondus liquido ipsi tribuit celeberrimus quondam Italiz yates, Petrarcha, dum part. 1. poëmat. canzon. z. pag. m. 42. ingeminat:

Nè Natura può star contra'l costume:

h. e: Neque Natura contra consuetudinem stare potest.

§. 4. Nimium verò Helmontius sibi arrogat, dum Venæ sectionem (sicut Purgationem aliàs) ex Scholâ Medicâ proscribit, illamque, tanquam nihil profuturam in Curâ Febrivm, immò notabile damnum allaturam. Diris castigat gravissimis, sicut universim quondam tam in Febribus, quam reliquis Morbis etiam, Erasistratus, ejusque Discipuli, Venæ sectione nisi penitus aut semper, tanquam difficillimum & perniciössissi-

ciosissimum quid, condemnabat, rarisimè tamen, nec facile (Necessitate quamvis urgente etiam) administrari permettebant: contra quos proin *Galenus* quamacriter disputavit in libro, qui adhuc supereft, *de Vena sectione, adversus Erasistratum conscripto.* Rationes tam *Erasistrati* olim & asseclarum, quam novissimè *Helmontii*, & qui ipsum sequuntur, non adducam aut dignè refutabo, cum utrumque sufficienter ac eruditissimè præstitū jam sit in aliis Germaniæ nostræ Academiis, nominatim *Helmstädtii*, Ann. 1651. sub præsidio Medici, Polyhistoris, ac Politici incomparandi, *Dn. D. Conringii*, in habitum Disquisitione de Venæ sectione, sect. i. §. 2. & sequ. *Jena*, Ann. 1654. sub præsidio judicissimi, Expertissimique *D. Gotthofr. Mæbii*, nunc Beati, in Disputatione Inaugurali de Legitimo Venæ sectionis usu, aphorism. 1. & *Altiorffii*, Ann. 1661. sub patrocinio Ingeniosissimi ac Nobilis. *Dni D. Mauriti Hofmanni*, Botanici cæteroquin etiam celeberrimi, in Thesibus Medicis de Venæ sectionis necessitate, thes. 30. sequ. ne gloriose ac sufficienter ab aliis acta identidem cum tædio Lectoris agam.

§. 5. Si tamen ex Sanguinis extra Venam apertam elapsu vel minimo periculum sit metuendum, dixerim, ibi ante omnia locum habere periculum istud, ubi *Vena* interdum spontè fuerint ruptæ. Cujus rei exemplum ex *Ludovicâ Bourgesiâ*, celebri illâ Mariae Mediceæ, Gallorum Reginæ, Obstetricæ, scriptis etiam clarâ, de honestâ quadam Matronâ, quæ exitio suo glaciem devoraverat, recenset *Excellentissimus Bartholinus*, in pereleganti Libello d. Nivis usu Medico, (cap. 36.) addens ibidem suffragium *Galeni*, qui lib. 4. d. loc affect. cap 8. affirmet, frigidum Venas frangere.

§. 6. Quod ipsum quâ ratione fiat, an intercedente ullâ
Aristo-

Aristotelicā antiperistasi, & partibus internis ob viscera vicina refrigerata, incensis, ac veluti combustis; vel venis ipsis induratis, ut sic fissuram facile admiserint; vel denique ratione turbati motū Circulatorii, quatenus Sanguis in aliquā Venae parte enormiter refrigeratus concreverit, congelatusque hoc pacto, à motu defecerit; unde continuo identidē appulsum Sanguinis boni ex vicinis Vena ejusdem, Arteriarumque extremitatibus, facto, Vena enormiter tendatur, ut dissiliat elemum & cogatur rumpi. In cujusmodi conjecturam quoque delapsum video Nobiliss. Dn. D. Elsboltium, communem mecum Inventi Infusorii Autorem in Germaniā hāc nostrā accuratissimum, Fautorem honorandum, in secundā Nova sua Chysmatica editione, cap. 5. pag. 24. ubi factum in Italiā à Celeberrimo Fracassato, in Cane, Experimentum Infusionis per Aquam fortē, memorat, & sequentia hāc pereruditē addit: *Aperto cadavere (Fracassatus) tūm Sanguinem omnem coagulatum, magis tamen in vasis, quam circa intestina: tūm quoque majora vasa fissa esse observavit, PER NATURÆ fortassis IMPETUM, quem admodum in his, qui Apoplexiā obeunt, vasa pulmonum plerunque rupta reperiuntur.*

DUBIUM XIV.

Infuso Liquore Auram malignam ad Venas & Cor revocari.

Quemadmodum in antecedente Dubio, & plusculis aliis sparsim, quæ sequentur, sic in hoc maximè omnium distinctus respectus habetur ad Casum talēm, qualis in Prodromo de Aegrotis quibusdam, ex retrogressu exanthematum mali-

malignorum gravissimè decumbentibus, exempli vicem propositus est. In cuius Prodromi §. 34. quamvis hoc ipsum Dubium maturè sat prævidi, & perspicuè, quām potui, breviterq; , §. 35. & 36. declinavi: placuit tamen CL. Dno Christian - Frid: Garmano repetere id, atque, ad distinctius probandum, quatenus sive culpā sanguinis, per venam sectam evacuati, sive Fermentationis etiam, per Medicamentum injectum introducēt, aura maligna facile ex ambitu Corporis introrsum retrahatur: talibus verbis uti, in eruditissimæ suæ Epistolæ I. §. 28: Venenum fixum, & in circumferentiâ bærens, excitatâ fermentatio ne volatile factum, Centrum subibit Cordis, (post injectum nempe liquorem Medicum, resuscitandæ fermentationi Sanguinis destinatum) & morti portam aperiet & fenestram.

R E S P O N S I O.

Breviarium. Approbatio Dubii allati: §. 1. videlicet

(I.) Utique, in exanthematibus pravis miasma eorum quodammodo fixum esse. §. 2.

Observatio rara buc pertinens, de Vibice pestilentiali: §. 3.

Eiusq; causa: §. 4.

& eadem de re, Autores. §. 5.

(II.) Miasma in exanthemate fixum, volatile iterum reddi posse. §. 6.

(III.) Idem volatile redditum, in Venas posse retroire: §. 7.

& (IV.) actu interdum retrogredi, culpā §. 8.

vel agri, frigido aëri se committentis, §. 9.

vel vomitus intempestivi; §. 10.

vel intempestivæ purgationis, §. 11.

vel indebitæ Venæctionis. §. 12.

Responsio, ad præsens Dubium, nervus. §. 13.

§. 1.

Non exigui momenti profectò est præsens Objectio, à Garmano doctissimo in medium prolata. Immò Ingenium sapit,

sapit, & præcox judicium, quia presso pede, ut sic dixerim, se-
ctatur abdita Naturæ, & curiosè considerat, quid intra Venas a-
gonizantium eventurum sit, si quam maximè etiam post retro-
gressos tumores malignos, & deflagrationem spirituum factam,
sanguis torpidior redditus, ad pristinam aliquam, (nisi majorem
etiam) fermentationem, infuso Liquore idoneo, reducatur. Pe-
riculū enim esse, ne Fermentatione talismodi, &, unà cùm hac,
Transspirabilitate totius corporis uteunq; redditâ, aliqua pars
pravi miasmatis, ad ambitum delati, & fixi jam quadantenus, sed
novo calore volatilioris facti, retrocedat in Venas, & iteratæ
turbationis autor sit, postquam per poros corporis non exspi-
ramus modò, & effluvia sanguinis varia expellimus, sed veri-
similiter etiam aliquam partem Aëris, cuti humanæ incum-
bentis, vel quidquid particularum, consistentiâ subtilissima-
rum, proximè Aëri, vel poris cutaneis immersum est, ratione
imperceptibili perpetim quasi inspiramus.

§. 2. Quo in negocio dubium haud est, quin (I.) *Miasma aliquod pravum, vel qualiscunq; aura benefica*, Febrium mali-
gnarum causa, volatilior anteà fuerit, dum cum sanguine in-
tra Venas Arteriasque ferociter ebulliret, quām esse depre-
henditur, postquam formâ aut sub vehiculo pustularum, tu-
berculorum, macularum, aut exanthematum aliorum, per
motum Naturæ Symptomatico - Criticum ē Sanguine & Vasis
foras ad Ambitum Corporis progerminavit, utpote quo tem-
pore fixiore aliquem statum denique adepta est, uti Variolæ
communiter, Morbilli, Petechiæ, &c. id probant: nec non
Stigmata, tempore Contagii, & *Vibices Pestilentiales*, consisten-
tes in hoc, ut cutis humana in aliquâ corporis parte, contracti
veneni vitio, longâ quadam purpureâq; maculâ notetur, tan-
quam vestigio, ex flagellatione præviâ relicto: & quando talia
acci-

accidunt, expressè liqueat, convenientissimè loquitos, qui-cunq; unquam Pestem Flagellum Numinis appellarunt.

§. 3. Sunt verò Vibicum ejusmodi exempla penè rara. Unde, quod equidem observavi Hamburgi Ann. 1664. mense Septemb: cùm Pestis curandæ à Magistratu Amplissimo Reipub. ejus, nil tale antea somnians, & ideo ex singulari indubie Arbitrio Divino, præficerer, curiositatis ergò, ac breviter, re-censembo. Puella quædam novem quasi annorum, ex non infirmâ sorte nata, & constitutionis anteà satis bonæ, sed quia in locum quendam, quem ancilla suspectum esse non suspicabatur, delata fuerat, febrem quandam malignam, populariter grassantem, & ideo penè vulgarem, ut primùm videbatur, inciderat; curaque mature utebatur Medici cujusdam clarissimi, & in Arte nostrâ excellentissimè versati. Qui verò cùm hostem latentem celare non posset amplius aut vellet, tempestivè se curæ abdicavit, & implorandum vel spontè suasit, vel se-riò concessit Auxilii mei operam. Vocatus ad ægram vidi, Naturam in ipso expellendi Carbunculum, ad montem pollicis, manūs sinistram, opere teneri. Quare cùm alvus prægressis Clysteribus jam satis responderet, adessentq; remedia, quæ mitigandis potioribus symptomatibus litabant, meritò illis ac-quievi, & recto pede sequens Naturæ vestigia, talia commodè applicavi, quæ expellendo ac attrahendo carboni pestifero, tām intus, quām foris, congrua videbantur. Atque erupit e-tiam integrè, ut debito tempore ad suppurationem duceretur. Sed & à sede ejus per interstitium digitæ pollicis ac indicis, perq; longitudinem brachii, paulò ultra regionem musculi deltoi-dis, bicipitisq; effloruit cū tumore ac dolore mediocri, in cute, continua quædam purpurea macula, latitudine digitæ transver-si, seque ad regionem subaxillarem quadantenus reduxit, ubi

præterea nullus quidem, in Ingue tamen manifestus *Bubo* comparuit, emplastro Magnetico acceleratus; quali etiam ancilla ante-dicta seorsim affligebatur. Vix ovum ovo similius, quam stigma istud simile flagro aut Vibici recenti. Quod verò altero die iterum majori ex parte disparuit, in adeò tenerè ætate, & post continuata interna alexipharmacæ, applicataque exteriùs fomenta & epithemata calida, ex Rob Sambuci, Theriacâ, Camphorâ, Aceto rutaceo, oleo Scorpionum, &c. parata, paulò post sui nè vestigium amplius reliquit: curataque, decursu dierum, integrè extitit tām *Virguncula illa*, quam Serua ejus, ut ambæ adhuc incolumes, per gratiam DEI, agant.

§. 4. *Causam*, ejusmodi *Vibicum* transscribo ad effusum versùs loca subcutanea sanguinem, fermentis febrilibus extraordinario modo astum, & sideratum dein, congelatumque, partim ob sui prolapsum extra vas a, & à vicinis frigidioribus partibus contactum, partim ob qualem cunq; peculiarem proprietatem Veneni pestiferi, quod verò, ut dictum est, in corpore adeò molli ac transspirabili, facilè difflabatur.

§. 5. Non omnes, qui ex professò quantumvis de Peste scripsérunt, faciunt ejus rei mentionem. Ac nominatim *Petrus Paulus*, qui accuratè alias & per quam concinnè de eadem scripsit, cap. 4. p. m. 68. latis quidem maculis fœdatam interdum videri cutem, interdum punctula, pulicū morsibus non assimilia, rubra, livida, punicea, viridia, aut nigra, in pectore, abdомine, brachiis, aut cruribus efflorescere recenset; de Vibicibus verò, h. e. maculis longis ac strictis, parum aut nihil addit: & *Kircherus* proximè, dum (lib. d. Peste, sect. i. cap. 11. §. 5. p. 176.) mentionem injicit varietatis macularum pestilentialium, duobns verbis tantum *Vibices dorsi* infert. Quam brachylogiam econtrario utq;unque vitare videtur solertissimus Andr.

Andr. Tenzelius, in tractatu Germanico d. Peste (part. 2. cap. 4. circa finē) ita differens, verbis latine hic redditis: *Si quis Peste laboret, atque ea ex brachio tendat ad Cor, rubicundam Striam acquirit, à brachio introrsum ad Cor tendentem. Sed longè diligentius hæc eximium Anglorum detus, Th: Willisi perspexit, dum (lib. d. Februb. cap. 12. p. m. 220.) ita ait: Sunt aliis generis Venena longe periculosiora, qua Sanguinem cogulant, ejusque mixtionem destruendo corrumpunt; scil: massæ Sanguinis & primò congelationem, dein prætredinem inducunt. Cum enim spiritus croris, à veneni contagio profligati, dissipantur, liquoris mixtio aquabilis solvitur: quare particulae crassiores se mutuo implicant, & (instar Lactis ab infuso coagulo, aut sponte acescentiæ) invicem coagulantur. Hinc cror in Vasis grumescit, ut minus promte in iis circuletur: huius portiones coagulata interius in Cordis sinus delata, illuc stagnare aptæ sunt, adeoque crebras Syncopas & Lipothymias pariunt: exterius advectæ, & inter circulandum in cute difixa, modò uberiùs congestæ, per totum, nigredinis suffusionem inducunt, modò parciùs diffusæ, maculas tantum, aut VIBICUM INSTAR STIGMATA PURPUREA, ceteraque malignitatis phænomena efficiunt. Hocque est, quod paulò antè (§. 2.) concessum est, exanthemata quædam, nisi omnia, non quidem esse malignitatis expertia; hujus auræ malignæ conditionem tamen subsistere jam in statu paulò quietiore & magis fixo, minusque periculum inferre.*

§. 6. (II.) Conceditur, fixum talismodi miasma pravum volatile rursus posse reddi, & à statu quieto ad motus novos excitari; idque eò magis, quò magis illa arsenicalis, aut similis naturæ fuerit, ut in peste aut febribus qualibuscunque summopere malignis. Istiusmodi enim pestilentes, deleteriæ, & arsenicales auræ quemadmodum valdè subtiles sunt, & intensiorem caloris gradum minus ferunt: ita facile fieri potest,

ut reducta per Artem Sanguinis fermentatione, perque hanc
toto denique corpore exactius incalescente, ipsa etiam Exan-
themata prava leniter turgeant, & congelatae eorum particu-
lae, ab igniculis sese eò insinuantibus, sensim ac sensim dislo-
centur, & tota earum compages rarefiat, ut sic spiritus pravi
vel auræ malignæ, à compedibus rursùm liberentur, & fugam,
quâ pateat exitus, ex carcere intendant. Immò cur ipſi nos
ab Ægris, Febre quadam exanthematicâ detentis, frigus exter-
num tantopere, ut moris est, arcemus, illosque foveamus in-
tra Lectulum, in calido ſæpe hypocausto, niſi ut retrocessio
modis omnibus vitetur, & pori cutis ferventur pervii, per quos
ſcilicet non modò expirent maligni halitus, in Sanguine re-
ſtanties, ſed & ſimilis aura virulens exanthematibus jam altius
impacta, à subdola ſuâ quiete, ad eruptionem diſcussionemque
ſui quâmefficaciter exitetur.

§. 7. (III.) Porrò nec negandum eſt, *Miasma virulen-
tum* ſemel expulſum, fixatum, & dictâ ratione volatile rursùs
redditum, facile poſſe ad venas retroire; quoniam per quæ ſpira-
cula corporis vapor aliquis exiit, per eadem quoque ipſis videtur
reditus patere, juxta communissimum uſum portarum, quæ
officio utrique litant.

§. 8. (IV.) Immò in certis caſibus ob hanc ipsam rationem
retroregredi, patet, ſi attendamus exempla, quæ toto die paſſim
vel culpâ ægroti, vel occaſione intempeſtivæ Vomitionis, Pur-
gationis, aut Sanguinis miſi, accidunt.

§. 9. Culpâ Ægri quidem; quatenus multi, qui magnam
partē à Febre exanthematicâ ja evaſerunt, aut evaſiſſe ſe autu-
mant, neſciente aut refragante Medico, ſe aerifrigidiusculo com-
mittunt, & ſperantes, hoc pacto ſolatium capere, novatque
vitæ auram inſpirare, de ſenestrâ tantum intempeſtivè proſpi-
cien-

ciendo, præsentaneum haut raro Mortis somitē attrahunt, quod fit, ultima residui Miasmatis effluvia cohibendo, porosque cutis lethaliter coarctando. Cujus rei exempla, post jam curatas maximam partem Variolas, Morbillos, Febremque Purpuram aut Miliarem, in Misniā notissimā, mihi, dum ibi agerem, aliisque Medicis notissima sunt.

§. io. *De Vomitorii* verò quando quæritur, e.g. Oxyfaccharo Vomitivo, croco metallorū &c. an convenientia in malignis? respōdetur cū distinctione inter Morbi initiū aut primū causæ peccantis motū, ubi Emetica conceduntur, si vitio Diætæ præsertim malū accleratū sit, ne relinquendo viscosos humores in primis viis, transspiratio interna, facilitandæ curationi futuræ necessaria, impediatur, aut ipsa materia peccans, circaque ventriculum turgens, & spontaneis vomitionibus minui cupida, adstringentium usu præpostero cohibeatur: & inter Morbi ejusdem augmenta dein & statum, quo exanthemata prodeunt. Quo tempore summè periculose foret, immo lethale, Vomitiones affectare, quia detractis è regione ventriculi humoribus, metu vacui proximæ particulæ ex adjacentibus Venis vel arteriis succedunt; his remotiores; & sic consequenter, donec ad ipsam Exanthematum sedem perveniatur, quæ partem sui, à calore fermentativo præsertim excitatam, facile reddit Sanguini. Immo in ipsis etiam Malignorum initiis, præsertim Peste, vomitoria vel planè non, vel cautissimè habenda; ob rationes, à Laur. Gifelero (de Peste Brunsv. observ. 13.) accuratissimè allatas.

§. II. *De que Purgantibus* idem esto judicium. Quæ si ullo exanthematicæ febris tempore (initio ejus videlicet, ob dictam causam) convenient, ne quidem quævis indifferenter convenient; sed ex iis ferè mitora, sive intus, sive formæ Clystemur

rum adhibita. Fortior purgatio in Malignis ante diem vigesimum haud æquè tutò instituitur. Adeoque, ne motus Naturæ, *materiam malignam* foras ad cutim expellentis, perturbetur, eademque materia, ut cum *doctissimo Willisio*, loquar (d. Febr. cap. 13. quod est de Pestè, p. m. 236.) *concentrata*, aut *intus deducta*, *visceribus affigatur*, consultum videtur, à catharsi eo tempore abstinere: secus Morti, aut lummo certè periculo, janua aperitur; sicut exemplum alioquin extare visum est Erysipelatis semicritici pro merè Symptomatico curati, & tractati, quā primū illud eruperat, exhibito Medicamine Purgante. Anticipatio partus, funesta foetus extinctio, & exclusioq; paulò post Fœminæ ipsius internecio, sequuta. Potuerunt tamēt fuisse ejus rei etiam aliæ causæ.

§. 12. *De Sanguinis Missu per Venæ sectionem* non est, ut pluscula tædiosè addam. Dico brevissimè, quod experientia confirmat; nec inferiùs (sub Dub. 77.) alia erit, ex professo magis proponendorum, summa: Neque hanc (Vene sectionem) videt: nisi cautissimè, h. e. in principio morbi, in robustis, nec valdè senibus, in plethoricis, in assuetis, ac extra graviditatem constitutis, administratam, tutum esse, in Morbis Acutis curandis, præsertim quibz Exanthemata cōplicantur, remediū; quia si quicquam potenter auram malignam revehit ad Venas & eor, Sanguinis missio ipsam revehit potentissimè, consistens in generosâ, subitaneâ, ac manifestâ evacuatione, ut rei, undecunque petendæ, attractio intra Venas, facillimè succedat.

§. 13. Sed, ut his hactenus præmissis, directâ responsione tandem præsenti Dubio litetur, summât ac peramicè, breviter ac perspicuè, cum *excitatissimi Ingenii Garmano* meo sic procedo: (i.) Nisi Dubium hoc jam pridem in Prodromo (§. 33, & 35.) occuparem, distinguendo ibi inter Venæ sectionis

nis scopum communiter receptū, qui in notabili evacuatione Sanguinis consistit, ac inter scopum ejusdem recenter inventum, qui absolvitur Liquoris certi in Venam apertam intromissione; nescio utique, quid congruē responderi possit. Quod si verò in Casu proposito parum aut nihil Sanguinis educitur, quid attinet, magnum aliquod retrocessionis periculum tantopore formidare? (2.) si aliquantillæ etiam pravi miasmatis particulæ, peractâ Infusione, ab exanthematibus pridem expulsis ad Sanguinem redirent, id quod minimè in totum negari debere videtur, ob *perspirabilia omnia in nobis*, ut docebat *Hippocrates*: attamen valdè exiguum illud foret tām quantitate, quam viribus, quia minima quantitas Sanguinis, sectâ venâ, ante infusionem liquoris, effusi, minimam etiam faceret attrahendæ undecunque rei alterius, & spaci vacue facti replendi, necessitatem: & priusquam quotcunque etiam pravi miasmatis particulæ in Venas retrò irent, Infusi Liquoris actiuitas: quem in tali casu volatilem valdè, diaphoreticum, & alexipharmacum esse convenit) pridem jam partes Massæ Sanguineæ plerasque perambulasset, ut multò fortius, certiusque resistere possit cuicunque etiam novo contagio, quam accidit quando medicamenta eadem aut similia per os, factâ retrogressione tumoris maligni, adhibentur. (III.) Denique quæso, quoties accidet, ut in Statu deplorato talis morbi, qualis in Prodromo anteà, (vitandi tantisper abusus gratiâ) & jam occasione praesentis Dubii, propositus est, Infusionis administrandæ ergò Medicus imploretur? Rarissimè certè; quia exequiarum parandarum tum jam potior cura est. Aut si Medicus imploretur, & rectè omnia peragat, nec tamen Eventus obsecundet, cum omnes sanare impossibile sit, ob primam transgressionem Legis inParadiso; repeto, quod in antecedenti Responsione, in fine

§. 1. dixi: *Quidtum? In malis extremis præstat, tentare judiciorū se aliquid, quam immisericorditer Nihil.*

DUBIUM XV.

*Introductā per Artem novā Sanguinis Fermentationē,
calorem præter nat: augeri.*

Unum Dubium pulcerrimè quasi gignit alterum, utut sub diverso climate, inque diversis calamis conceptum. In antecedenti Responsione concessum est, Miasmata prava, postquam cum exanthematibus eruperint, plerumque in iisdem figi: fixa iterum, vi caloris, reviviscere quasi posse, & ad statum liberum reduci: reducta denique eō, h. e. volatilia rursus redita, ob causas varias sine negocio intra venas reassumi. Quod si jam retrogesla fuerint, quid denique continget? Calor indubie præter Naturam augebitur, ex sententiâ Nobilissimi & Celerissimi Un. D. Sachsi, Chymiatri & Amici mei magni; quandoquidem in Epistolâ suâ ad me, superius (pag. 36.) citatâ, §. 1. ita ait: *Sed arduum, inquirere tam efficax remedium penetrantissimum, quod precipue in Acutis & malignis non simul calorem pr. Nat. augeat: quæ verba etiam in Prodromi §. 52. sunt adducta.*

RESPONSIO.

Breviarium. Limitata concessio Dubii, §. 1.

annexis pauculis de turgescentiâ periculosâ Sanguinis, ex defectu Harmonica transpirationis, §. 2.

e.g. ob incongruum usum Mitbridatii ac Tberiace in Peste; §. 3.
in qua, quomodo Autor periculum declinarit? §. 4.

Vel ob liberaliorem Anacardina Confectionis usum: §. 5.
vel Spiritus Cochleariae, §. 6.

vel Olei Succini, aut Salis Ejus volatilis. §. 7.

Canis intumescens & moriens, ex oleo Tartari, Vene ejus infuso. §. 8.

§. 1.

Immodo maximè interesse puto, ut, quam fieri potest, peracta infusione certi liquoris, calor intra Venas reducatur ac intendatur, partim in Agonizantibus, congelascentiæ mortiferæ proximis, qui tamen rarissimè, per chirurgiam Insul: curandi venient; partim quoque in aliis (valentioribus,) quorumcunque Morbi unquam Febriculâ subsequâ soluti extiterunt. Neque enim enormis calor hic intelligitur: nec rem ipsam reor debere peragi, nisi in tali corpore, de quo affatim nobis constet, perspirationis aut ventilationis successum sperandum esse, aut manibus nostris reduci & gubernari posse.

§. 2. Secus, vel exigua etiam caloris incrementa cedent pessimè, quia ob impetum, Sanguini impressum, plus rapidiusque urguntur, ut valde turgescant, arteriæ, quam ut idem Sanguis eadem mensurâ per venas circulari, vel eventilatio particularum, in vaporem conversarum, debitâ proportione ac harmoniâ transpirationis, cum temporibus illis aut ubertate materiae affluentis, coincidere possit, quibus Arteriæ dictæ ampliantur. Hoc Germanicè Überreibung der Adern dicimus; vel ὡγασμὸν aut turgescientiam anomalam, Sanguini impressam; vel etiam furorem Archæi, juxta Helmontium; cuius exempla habentur in Febris omnibus ardentibus, & malignis, instantे earum crisi præcipue. Quibus alia quædam addam, quæ solent accidere occasione Medicamentorum quorundam, inconvenientiùs exhibitorum.

§. 3. *Ex his (I.) esto Tberiaca vel Mithridatum, duo isti famosi Medicamentorum omnium reliquorum Reges, tumido ventre amara dulcibus, alexipharmacæ venenis, cali-*

da frigidis, Aquosis pinguis, Græca denique, ut sic dixerim, Latinis mixta continentes. Quorum usus quidem omni ævo meritò fuit maximus : sed & insigne damnum ex abuso eorundem ac intempestivo adhibitu, à multis facto, dum Hamburgi ante quadriennium pesti domandæ præesse, non semel fuit ad aures meas latum. Ut scil: vel præservationis, vel, si quid mali sentirent jam, creditæ curationis certissimæ ergò, ad alterutrum dictorum medicaminum confugerent, tanquam ad sacram anchoram, ejusque partem notabilem assumerent, non consultâ priùs perspirationis suæ ac alvi ratione: sicque gravioribus sine morâ Symptomatibus correpti sunt, quorum agmen in haut paucis acerba mors claudebat. Ratio istius eventûs, meo quidem exili judicio, est hæc, quod *Theriaca* ac *Mithridatum*, imprimis si ante absolutam fermentationem sumam in pharmacopolio usurpentur, & *Theriaca* quidē præcipue, utpote Mithridatio, ex démonstratione Döringii, (d. Mithridat. Annotat. 4. pag. 339. sequ.) calidior, calorem Sanguinis exaltent, & poris, eventilationi vaporum inservientibus, non satis perviis, periculosum istiusmodi, & quandoque lethalem, ὁγασμὸν excitent in Sanguine, quem jam antè fluidum nimis esse tempore Pestis, in Belgio censet *Clarissimus Sylvius*, & calidis rebus proin, vel rebus quibusvis aliis, Sale volatili abundantibus, non facilè tendandum. Spectatque huc, quod *Marcus Aurelius Serverinus* ait, (d. Viperâ Pythiâ, part. I. cap. 9. §. 5. pag. 161.) *Theriacam*, (quam pag. 166. dein *remedium* vocat πολύχενσον) si modum excesserit, facessere in Venenum.

§. 4. Qualia considerando, ut periculum vitarem, equidem plerumque felicissimum eventum expertus sum, si iis, quorum persona, consuetudo, ac transpiratio, ex nullâ prægressâ conversatione anteà mihi fuerat cognita, veruntamen

men & quibus Sudoriferum aliquod quantocyūs exhibendum
 Necesitas suadebat, initium non à vehementioribus facerem,
 sed iteratis vicibus mediocre aliquod, & ferè infra debitam do-
 sin, exhiberem, e. g. pulverem Bezoardicum in Aquā Veroni-
 ex, Scordii, Cardui bened: &c. Essentiam Bezoardicam *Dn.*
D. *Ad: Cassii, Medici Hamburgenſium in ſignis,* certè nobilifimam,
 & quæ me nunquam ſefellit; vel ingruente nocte præcipue,
 nunquam ſatis laudatum Diascordium *Fracastorii*, in Aquā
 Acetofellæ, Citri, Decocto Citri aut Eboris, diſolutum; &
 tandiu huic medendi modo inſisterem, donec minimum ali-
 quod indicium appareret; cutim utcunque le ad madorem
 componere: quo notato, fortius dein continuò aliquod pro-
 pinavi, dosin dictorum augendo, vel dabitâ dosi Miſturam
 ſimplicem, Aquam aliquam aut Tincturam Bezoardicam,
 Spiritum Theriacalem, vel C. C. hujusvē, aut Succiniſal volati-
 le, Balsamum antiloimicum *D. Henifū*, aut ſimilia, ministran-
 do. Sic sudor calidus plerumque & universalis, ſæpe fœtidus
 etiam, cum tolerantia Ægri prodiit, Symptomata ſenſim re-
 miferunt, carbunculi, bubones, &c. debitâ ratione ac tempo-
 re maturuerunt, & decubentium plusculi per tutum adeò
 genus auxiliī, adſpirante Divinā gratiā, evaſerunt.

§. 5. (II.) Porrò ſimilem ὄψασμὸν quoque, atque à
 §. 2. hucusque dictum eſt, in Sanguine excitare, ſi Transpiratio
 corporis non æquè conſpiraverit, obſervata haut minus eſt
 æquè famigerata illa *Augustanorum* hodie, & *Mefuc* olim ex
Avicennā deſumta *Conſectio*, *Anacardina* vocata; quam modò
 dictus *Avicenna* quidem, ut eſt apud *Fuchsium* (lib. 2. d. Com-
 pol. Medic. ſect. 3. num. 4. p. m. 173.) *Electuarium Sapientum*
 nominavit, ob longè maximas laudes, quæ eidem in ſubjectis
 frigidioribus tribuebantur; Alias verò, (verba laudati *Fuchsii*
 ſunt)

sunt) *Spiritibus accensis*, *Febres excitat Diarias*, à quibus sape trans-
itūr in putridas vel Hecticas. Quod periculum forte Schönbornero
quoque fuit notum, unde (in Manuali Med. Pract. pag. 6.)
Confectionem Anacardinam cautè adhibendam asserit: possetque
ulus ejus esse in iis casibus, ubi Frebricula aliqua Studio venit
excitanda, uti notatum jam superiori tempore id fuit in Dispu-
tatione hic publicè habitâ, de Febre Artificiali, adducendo
ibi (membr. 2. §. 18.) in partem suffragii sequentia *D. Timae von*
Güldenklee (lib. 8. cas. medicinal. 14. pag. 355.) verba: *Practicorum*
nonnulli de Industriâ febrim exhibitâ Theriacâ & Confectione Ana-
cardinâ, aut Oleorum calidorum circa pulsus temporum & brachio-
ruminunctionibus accendendam putant, ut hoc modo humores pituitosi
exsiccentur, & absumentur.

§. 6. (III.) Aut, nisi Febris, h. e. Morbus aliquis uni-
versalis, Cephalalgia tamen molesta, tanquam Symptoma, ab
Orgasmo particulari Venarum aut Arteriarum Capitis prove-
niens, succedere solet in subjectis minus perspirabilibus, post
introassumpta Medicamenta quæpiam alia, vi penetrandi cla-
ra. Quorum censu haut dubium est, quin sigillatim *Spiritus*
coclearia haberi mereatur, inter Antiscorbutica cæteroquin
summum. De eo enim observavi, aliquibus inferre Dolorem
Capitis; quod eatenus fieri auguror, quatenus Sanguis à
Sale volaotili Cochleariæ paulò fortius movetur, quam ut va-
porosa illius effluvia, sed dicto Sale volatili crassiora aut impu-
riora, excitata tamen ad fugam, est acrius commota, debito
pondere ac numero foras per spiracula convenientia amo-
veantur: quin ad ventilabra subcutanea ac totius corporis
plus semper materiæ advolat, quam transpirare per eadem,
tempore eodem, possit. Unde cumulatis circa meninges aut
pericranium halitibus, tensio sit in parte membranæ, & dislo-
catio

catio fibrillarum nervarum, ut sensum ejus arripiat anima sub molesto quodam phænomeno Doloris. Quâ opinione fulti jam facile explicare possumus, quæ de modò dicti *Spiritus Cochlearia noxâ*, in aliquib⁹ perceptâ, cæteroquin ratiocinatur, quamvis non æquè perspicue, *D. Job: Drawitius*, in elegantissimo suo tractatu Germanico, de Scorbuto, tit. i. pag. 7. & 8.

§. 7. Idemque (IV.) *De Oleo Succini* judicium tenendum, incongruâ dosi dato. Cujus rei notandam historiam *Sennertus* nobis memorat, (d. Cons: & Dissens. Chym. cap. 18. pag 376.) his verbis: *Novi duos infantes, oleo destillato Succini, alias se recte usurpetur, bono, necatos à vetulis duabus fuisset.* Alteri enim *Infanti vix ante X. dies in lucem editi cum Vetula olei destillati Succini aliquot guttas propinasset, toto corpore pusilla magna eruperunt, ac si Aquâ fervente perfusus fuisset; unde is paulò post exspiravit, &c.* Dubiū minimè est, quin id vehementiæ salis volatilis & sulfuriis deberetur, quibus Succinum abundat: cujus Salis etiam grana modò aliquot parturienti fœminæ ab aliquo medicastro data in urbe quadam Silesiæ, superioribus annis cognovi, paulò post exitium lacrymabile tulisse.

§. 8. (V.) *Oleum Tartari, Cani infusum*, quâ ratione eundem, intercedente ejulatu multiplici, intumescere primum, & mox perire fecerit, ex observatione *CL: Fracassati*, quā *Dn. D. Elsholtius* in alterâ sūæ *Clysmaticæ* editione (cap. 5 p. 25.) pro se adducit, ex nullo fundamento commodiùs, quām ex hoc ipso, quod protuli, explicatur; vel ipso laudato *Elsholtio* suffragium addituro, qui hanc epicrisim (pag. 26.) per opportunitè addit: *Mortem aquæ à Sanguinis nimia fluiditate, quām ab eiusdem coagulatione inferri posse, elucescit.*

DUBIUM XVI.

*Si Liquor flatu Oris in Venam impellendus sit, idque
fiat à Chirurgo minus sano, novum Miasma
Sanguini communicari.*

NOvum mihi identidem, sed, ut cætera, pergratum cum Eruditissimo Garmano negotium est. Postquam enim Is inter Conditiones quasdam, ad Chirurgiam Infusoriam spectantes, quas in Prodromi mei §. 11. & 21. proposueram, unam quandam notaverat, quâ censebat, *Liquorem Medicamentorum vel Insufflari posse per tubulum, vel intrudi ope manus, vesiculam, tubulo annexam, comprimentis, in prioris Epistole sue §. 20. & 21. posterioremodum, tanquam convenientiorem, eligit; priorem verò, partim Chirurgò, partim Ægri aliquid creare, vel saltem minari posse periculum;* affirmat, hac natione ductus, quod vel Halitus pravus (in casu Morbi maligni) ex Venâ apertâ ægri per tubulum, venæ insertum, ad palatum Chirurgi transire, eumque malè afficere, vel Chirurgus, si phthisi, vel morbo quopiam alio labore, halitu proprio Liquorem medicum in Venam adigendo, eundem Liquorem, vel ipsam Ægri massam Sanguineam, halitu dicto tactam, quodammodo alterare, inficere, Ægrique incommodis hoc pacto novum malum creare, & totum denique *Insufflationis suscepere negotium facile iritum reddere possit; cum novum non sit, ut veluti Salivæ alias, sic ipsi etiam Oris Halitui, vis aliqua fermentans competit, aut qualem cunque aliam alterationem in Corpore alterius præducens.* Unde consultius videri, ut vel posteriorem (non Insufflandi videlicet Infundendi, aut pressione quadam trajiciendi) modum (Chirurgus) eligeret, vel balitur masticatione Radicis alicuius Alexiteria corrigeret.

RESPON-

RESPONSI.

Breviarium: Premituntur quedam de Fascino Oculorum & voce Praefascini: §. 1.
 quæverò de balitu oris potius, actotius corporis, quam oculorum, explicantur, §. 2.
 exemplo fæmina Menstruata, §. 3.
 cuius obtutus quâ ratione noceat speculo? §. 4.
 Halitus Humanus Sal, Sulfur, & Crystallo: §. 5.
 Ejusdem usus mechanicus, ad Vitra inauranda. §. 6.
 Oculis Brutorum insuper noxa quoque attributa; §. 7.
 Basilisci præserit, §. 8.
 cuius Virtus trivenifica notatur; §. 9.
 & Lupi, §. 10.
 cuius adfæctu quâ ratione amittatur vox? §. 11.
 Hominum balitus vim alterandi habet; §. 12.
 ex quibus Physici præserim contagioſi. §. 13.
 Nec non Saliva, sanietiam Hominis, fermenti ferak. §. 14.
 Responſio ad præſens Dubium, in Summam adda. §. 15.

§. 1.

Nescio, quis teneros oculus mibi fascinat Agnos; extat apud Virgilium Eclog. 3. & 103. eoque notatur antiquissima illa opinio, quâ homines credebant, malevolos passim solo Adspectu detrahere posse felicitati eorum, quibus non bene cuperent; & nocere per oculos, tanquam fascini, nescio cuius, in distans agentis, promicondos: quomodo & Gratius, poëta vetus elegantissimus, in Cynegeticō suo, Vers. 406. canit:

— — — *Oculique Venena maligni
Vicit tutelâ Pax imperrata deorum.*

Ad quæ verba vide notas prolixiusculas Clarissimi Bartbii, rem hanc fusiūs illustrantis; & adde, si placet, tritam hodienum & Praefascinè, vel Praefascini, voculam, quâ more à priscis rece-

M m

pto,

pto, rem aliquam, tanquam verè, *sine fascino*, aut fuso se habentem, contestamur, exemplo Servi illius apud Plautum (in Rudente, & §. 4.) qui rīsum exinde concitavit, quod arrogando sibi nequitiam, prætextu vocabuli istius ab invidiâ se muniret.

Ut sine labore banc extraxi! Praefascinè,

Satis nequam sum — — —

Vel imprimis, ubi quis impensisùs vel ipse laudaret se, vel cōrām ab aliis laudaretur, consuetudo erat, ut adderetur, *Praefascinè!* h. e. absit dicto *Invidia*, quæ possit occasionem dare *Fascino*, quod ex hostili ac *virulento Oculorum obtutu* promanare queat. Quam in rem confer præterea *Taubmannum* ad illud modò-dicti *Plauti* in *Asinar.* 2. 4. 84:

Praefascinè hoc nunc dixerim; nemo etiam me accusavit.

§. 2. Nisi Opinio ista de *Fascino Oculorum*, priscis tantopere formidato, superstitionem quandam, & meras aniles fabulas redolet, poterit, pro Seōpo præsentis Dubii, ex Naturâ eatenus explicari, quatenus *Anphelitus* ille, qui ex Ore quorundam, aut toto corpore (morbose præsertim constituto) prodiens, aliis unquam molestiam creavit, creditus est, ex *Oculis* ante omnia promanare, ut solus obrutus propterea ad nocendum aptus sit, & virus occulti fascini secum ferat; cum tandem illud, quod ex *Oculis efflamus*, longè minimum sit, ac exiguum aut nullam proportionem ad ea habeat, quæ unâ quandoque exspiratione per *Laryngem* ac *Fauces* ventilantur.

§. 3. Interim nihilominus *Menstruatae* præcipue à multis seculis creditæ sunt, adeò *suspicio*bitutus esse, ut eo etiam politissima *Specula maculam contrabant*; quæ traditio forsan *Plinio* deberetur, (ex libr. 28. hist. Not. cap. 7.) nisi proxime is, antequam contingat fabulam istam & similes de *Sanguine men-*

menstruo, hunc clypeum præferret: Melius est, inquiens, non credere: Immò convenientissimè totum caput illud his verbis egregiis auspicatur: Quæ ex Mulierum corporibus traduntur, ad portentorum Miracula accedunt. Unde, quid de sequente Soliniloco sit statuendum, facilè patescit. Ita verò cap. 4. ait: *Adspectu specula vitiant ita, ut bebetetur visu fulgor offensus, & solitam emulationem vultus extinctus splendor amittat, faciesque obvici nitoris quadam caligine nubiletur.*

§. 4. Utique *Halitus Humanus*, Speculo quam proximè afflatus, vim habet, hebetandi aliquandiu illud, & nubem eidem offundendi. Sed hoc non Menstruare solum præstant, ullâ peculiari via fluentis Lunulæ suæ, sed quivis facilè id efficere possunt homines alii, Speculum versus, cum ihsis videtur, exspirando, præcipue matutino tempore. Sic enim in unum quasi coguntur particulæ illæ viscidæ, quæ à particulari intra pulmones coctione Sanguinis residuæ, consueto anhelitu efferuntur, & ad aërem liberum, tempore Hyemis, delatae, se formâ Vaporis conspicuas exhibent, ex ore etiam eorum, qui Sanitate optimâ gaudent, & Diætâ utuntur rectissimâ, sive sint Foeminæ, sive Mares.

§. 5. Eundemque *Halitum Sancti Hominis*, Excellentissimus D. Olaus Borrichius, Medicus Regius & Professor Hafniensis, Vir in politiore literaturâ versatissimus, & selectiorum Arcanorum Naturæ valdopere peritus, Fautor summopere colendus, apud Collegam & civem suum, *Celebratissimum D. Bartholinum*, (lib. d. usu & Fabricâ Pulmon. sect. 2. p. m. 41. Scientissimè judicat, *Sale & Sulfure*, quæ in aëreo pulmonum corpore prius natavetint, constare; evaporantemque dein in albantes capillæ Crystallos concrescere, si ad superficiem Vitri debitâ ratione, adigatur: id quod partim citra peculiare Pneumatolabium

etiam experientia, tempore hyemis, facile quodammodo unius
cuvis comprobabit; partim ex *Fabrio Bartoletto*, post laudatum
D. Th. Bartholinum (l. d. sect. 5. pag. 97.) convenienter in
Dubio suo me admonet *Germannus*, atque *Crystallosistos*, ex
Microcosmi, ut si dixerim, subterraneis enatos, contra Phthisi-
fin summopere laudari connotat.

§. 6. *Mechanicum* vero etiam *vaporis illius usum*, quo
scilicet loco tenuissimi glutinis inservit, ad tabulas vitreas, Auro
foliato, ab uno latere, exornandas, ut ipsis dein acu, vel cafa-
mo scriptorio acutissimo, tanquam cælo, imagines inscribi
possint, & atro colore postmodum interstingui, tanquam si
Imaginem æri incisam chartæ inauratae impresseris, à Pictore
quodam mihi familiarissimo pridem didici, & aliquoties hoc
qualecunque Inaurandi, scribendique aut pingendi in Vitro,
artificium, ad gratiam, sine errore, Experientiam revocavi.

§. 7. Cæterum ex ante laudato *Plinio*, ac aliis, notissi-
mum esse potest, non *Humana faciei* solum, sed aliquibus etiam
ex genere Brutorum, obtutum virulentum, vel quacunque alia
ratione damnosum & formidabilem, fuisse attributum, no-
minatim *Basilisco*, & *Lupis*.

§. 8. Ex *Oculis* videlicet *Basiliscitam virulentiam halare*,
ut solo aspectu, quos prior intuitus fuerit, enecet. Quod e-
quidem fabula proximum est, ut ut inter bestias nulla unquam
nocentior facile, truculentior que, hoc ipso Basilisco existite-
rit; quemque verè dari in Naturâ rerum, & ad Aspides omnium
perniciosissimas referendum, sufficientibus documentis
probat *Eximus Decus Musarum*, ac meum, *Ampliss. Dn. Georg:*
Caspar Kirchmeierus, Professor Wittebergensium longè claris-
simus, sed indubie ad altiora natus, in disputationis suæ Zoo-
log. i. (quaer *Zoologiae job. Sperlingii annexa est*) cap. 2. & 3. cum
qui-

quibus, inter antiquiores, *Plinius* (lib. 8. cap. 21.) & *Solinus*, ferè eadem, quæ *Plinius*, habens, (cap. 40.) videatur.

§. 9. Et sciendum, quicquid de *Diritate Basili* ab *Autoribus proditum* est, de *afflato ejus*, & *emisis ex rictu Spiritibus*, *naturæ Viventium infestis*, percipi debere, *Aquam*, *Terram*, *Aërem vicinum infidentibus*, suffragante *Marc. Aurel. Severino*, qui diligentissimè de *serpentum Naturâ & differentiis* scripsit, (Libr. d. Viperâ Pyth. part. 1. cap. 9. §. 2. pag. 137) & hæc de *Basili* verba habet: *Aëre quidem supervolantes valures balitu conficit pestifero. Terra verò fruges objectas, quasi malo tactas, exsugit. Aquam etiam, quam forte fortuna decurrit, contagione inficit.* Ingenioseque ac verè *Bodinus*, (à Kirchmeiero etiam antelaudato allegatus): *Cui visus est unquam, si solo necat adspectu.*

§. 10. Idem de *Lapis præcipue tenendum*, quorum visum noxiūm esse, ipsosque Homini vocem, quem priores viderint, adimere, autore iterum *Plinio* (lib. 8. cap. 22.) in *Italiâ credebatur*; conspirante etiam tritissimo loco *Virgilii* (ecl. 9. & 53:). — — *Vox quoque Marin.*

Jam fugit ipsa: Lupi Marin videre priores.
Et mirum profectò, *Cardanum non puduisse agere Delirio tantum causam*; vide identidem *Kirchmeierum*.

§. 11. Est quidem *Lapis vilus longè acerrimus*, & faculae instar ipfis inserviens in Tenebris, ob *Lucis copiam connatam*: unde *Apolloni quoque* (seu *Soli*, qui omnia illustrat) fuerunt dedicati; ipseque *Apollo dictus Lycius*, ut ex *Macrobius citat Job: Faber, Lynceus*, (in *Expositione Animalium Novæ Hispaniæ*, quæ extat in *Franc: Hernandez Historiâ Mexicana*, pag. m. 492,) cum quo imprimis confer πολυμαθεσιον D. Th. *Barbolinum* (lib. 2. d. *Luce Animal. cap. 5.*): Ho-

minesque ex mortu^o Lupi in Rabiem adactos, ex eodem, quem modo citavi, *Fabro*, (l. d.) *Amplissimo* item *Dn. Ad: Oleario*, vivâ illâ Bibliotheca Hollatia, & exterarum ferunt perspicacissimo Autopte, (lib. 2. Itiner. Persic. cap. 10. p. m. 118) & observationibus aliorum, constat. Aliquid Vitulentî verò ex Oculis Luporum emanare, veritati haut consentaneum est. Quin Terrori, ut arbitror, & metui mortis, est tribendum, si aliquis, (solus præsertim, & tempore noctis) Lupō viso, vocem amiserit. Aphoniam siquidem à terrore su-
bito interdum concitari, innumera alia exempla probant, & res ipsa fundamentum suum in enormi spirituum, Voci inservientium, ad partes alias corporis diversione, habet.

§. 12. Quanta verò *Anhelitus Humanus*, sive auctæ etiam qualiscunque tam ex ore, quam corpore reliquo elevati, ef-
ficacia sit est vis, in objectis sibi Hominum aliorum corpori-
bus alterationem notabilem aut molestiam producendi, no-
tum evadit quemadmodum ex Exemplis communiter occur-
rentibus, ita sigillatim ex iis, quæ ab *Eximio Garmanno* (Au-
tore præsentis Dubii) de Exotico odore Halitus humanus (in
Sanis etiam) post Cibum ac potum assumptum, Anhelitu Phthisi-
corum, Syrupis in Pharmacopolio ex propria pyxide non-
degustandis. Oculisque morbosè constitutis, Vulneribus, ac
Ulceribus, Chirurgi anhelitu non temere feriendis, sagaci in-
dagine proferuntur: sicut jam olim etiam *Plinius* lib. ii. cap.
53. de Halitu Animalium peculiariter scripsit; in quem vide
Notas doctissimas *Dalechampii*, & quadam tenus ea, quæ de
contagio per Osculum, & *Contagio* in genere, proponentur à
Me in *Responsione* ad sequens Dubium XVII.

§. 13. Sanè si nullus Morbus internus ex iis, qui non-
Maligni appellantur, contagiosus est, *Pthysis* præ reliquis, ac
maxi-

maxime omnium, atque est *Contagiosa*, ut, verbis magni Riperii, (lib. 7. Med. Pract. cap. 7.) videamus ut plurimum uxores, matrites Phthisicis assiduo inservientes, eodem affectu corripi, & vice versa. Sic etiam liberi ejusdem familiæ, eodem affectu sigillatim intereupti non solum propter impressam laborem à semine parentum; sed etiam propter frequentationem illius, qui primus hoc affectu actu laboravit. Inter consanguineos enim faciliter & promiscuè communicatur hujusmodi contagium; ut tunc non sit fratribus, aut sororibus fratribus, qui sororis phthisi laborant, cubiculum ingredi. Siquidem usq[ue] qua illa, quæ à phthisicorum pulmonibus exhalant, & cubiculi rotius aërem inficiunt, ab aliis (principiè dispositionem aliquam adhuc Morbum habentibus) in pulmonem attracta, similem in eo dispositionem generant. Tale quondam Venetiis exemplum contigit, in Nobili quadam domo, ut brevi temporis spacio plusculi Liberi aut familiares prægressam ad plures matrem, Phthisi defunctam, sequerentur. Ob cujus Mali atrocitatem ne & ipse qualicunque malignitate, latere credita, corriperetur Pater familias cedere demum est coactus, est semet recipere aliquandiu ad locum alienum; relictasq[ue] interim, Edes recens dealbari iussas, arbitrio Ventorum, à quibus perflarentur, per aliquot menses tradidit, reversusque in illas, salvus in iis, nec ipse infectus, bono tempore postmodum pervixit. Istud Seminium Phthisicum sine dubio à matre relictum fuerat, vel in vestibus ejus, lectulo, linteaminibus, pœculo, aut supellestili alia, (& quidnam partem etiam in ipso cubilis aere?) hærens, ut sic quamfacillime ad alias etiam personas transire potuerit, ipsasque, necessariò respirantes, inquinare.

S. 14. Insuper *Saliva* mentionem quoque Garmannus in Dubio suo ingerit, & à Fermentatione ipsius vi non insulse argumentatur ad noxam possibilem, in corpus. *Egroti* facile redi-

undaturam, si Medicamentum, Infusione destinatum, à Chirurgo, (principiè minus Sano) flatu oris, per fistulam, ad Venæ intimiora sit propellendum. Si enim *Saliva* in eodem subiecto, cuius *Saliva* est, eoque naturaliter constituto, ad cibos intra Ventriculum fermentandos apta nata est, ratione Salis tenerimi, in ipsalatitantis; sicut hunc ejus Usum *Ingeniosissimus D. Francisc. de le Boe Sylvius* (part. i. disput. Med. i. thes. 24. & 25.) *Tbam. Whartonus* (Adenograph. c. 21. in fin:) *Martinus Kergerus*, (d. Fermentat. sect. 3. c. 2. p. m. 201.) *Nicolaus Steno* omittim ingeniosissime, (observat Anat. d. gland. Oris, §. 28.) & *Neotericorum* plures alii; ante hos omnes verò quadtenuerunt etiam *Hofmannus* (lib. 2. Inst. Med. c. 119. §. 3.) inculcarunt: quid non alterationis causabitur qualisunque particula *Salivalis* maderis ex ore Chirurgi alienus, non sani, sed e. g. phthisici, Scorbutici, &c. neque in partem aliquam corporis proprii, sed in Venam alterius hominis, ejusque pariter haut sani & cum Morbo gravissimo luctantis, per tubulum infusorium transmissa; siquidem haec transeunti liquori medico facile misceri potest, cum partim syrapi in Officinis Pharmaceuticis à tenerimo etiam degustantis halitu, labiorumque attactu tantopere alterentur, ut aptè *Germannus* monuit; partim vulgare magis exemplum antè dictus *Kergerus* nobis exhibeat, dum l. d. ait: *Salivam fermenti Naturam babere, vel inde colligere licet, quod pulmenta, Cochlearia tacta, quod ex ore hominis protrahitur, facile & brevi tempore funduntur, & fermentescunt.*

§. 15. Veruntamen, ut ad supradatam Objectionem demum rectè respondeam; nil amplius periculi est hic. Nullatenus sibi Aegroti de ullo contagio metuant, à Chirurgo forte vel Medico, liquorem medicum per Syringem in sectam Venam, vi flatu insulso, postquam Infusio hodie expressio-
ne

ne potius per Siphonem cum scapo inserto, vel canaliculum cum vesiculâ appensâ, peragitur, nec valdè commodum aut consultum videtur, medicamenta in Venam trajicienda, præsertim generosiora, & quæ minimâ dosi ingerenda in certis casibus veniunt, intra os primùm recipere, hinc flatu explodere quasi, & in Venam derivare. Cum ante quadriennium Pro-dromum meum ederem, disjunctivè monui, posse Liquorem trajici, impulsione factâ vel halitu, vel manu. Non, quod utrumque modum censerem æquè comodum; sed quod liberum unicuique Medico perito vellem relinquere, cuī viæ in-sistere placeret; acut curiosis aliquibus liqueret, prioris istius (h. e. Insufflationis) possibilitatem maturè animo quoque meo obversatam fuisse. Dum verò Modum Expressorium, Efflatorio ipse continuò prætuli, & Expressorius est duplex, vel per siphonem, ut dixi, vel per tubulum cum appensâ vesiculâ; addendum fortè videtur, quem modum etiam ex his censem meliorem. Sed de eo directè magis inferiùs, prolixiusque in Responsione ad Dubium 56. liticula hæc qua-liscunque dirimetur. Interea tamen prænotare hoc fortè non inutile est, præter Expressionem, & Insufflationem, tanquam Actiones cum aliquâ violentiâ conjunctas, dari hodie & ter-tiam, in Infusione compositâ, seu Transfusione, conspicuam; quando scil. Sanguis ex sectâ Arteriâ Animalis cujuspam, in Venam alterius, per interpositos debitos canales, Spontaneo motu migrat. Immò fortassis quoque quarta accedet, Vaporosa, per vaſculi destillatorii, aut alterius Instrumenti commo-dam applicationem: sed manum tantisper de hac tabulâ.

DUBIUM XVII.

Vel Chirurgum ipsum, exspirando & inspirando per Fistulam, facile auram pravam ab Aegri Corpore attracturum esse.

Eodem Autore, *Garmanno*, & ex eodem Argumentorum fonte prodit hoc Dubium, quo præcedaneum prodibat; & à priori parum differt, nisi in hoc, quod iſthic metu contagii Aeger aliquando à Chirurgo ſibi cavere habiturus sit: hic verò Chirurgus ab Aegro non leviter, quia dictus Chirurgus, in actu Inflationis constitutus, omnimodè ſibi ab Inspiratione temperare nequeat; & propterea attrahendo halitum, cum hoc ipſo aliquid heterogenei ac damnoſi ex Venâ Aegrotantis non aliter, quam in ſalubri aliquo puteo, ſit attracturus.

RESPONSIΟ.

Breviarium. Præcedens Responſio huic retrahitur; §. 1.

& aliqua de Osculo adduntur; §. 2.

Contagioso videlicet, e. g. Phthiforum, §. 3.

& Lue Venereâ Infectorum. §. 4.

Odor cadaverosus periodicus, ex osculo mortue Conjugis contractus. §. 5.

Consequenter de Contagio; §. 6.

tum immediato, §. 7.

tum immediato, §. 8.

per Aërem aut Halitum, §. 9.

aut Aquam. §. 10.

tum per Fomitem varium, §. 11.

quod etiam Moneta ſpeſlat. §. 12.

§. I.

NON eget hoc Dubium prolixiuscula Responſione; quin declinatur eadem, quam antecedens, machinâ, quæ huc etiam

etiani trahatur. Hoc tamen agere non erit injucundum, ut quemadmodum *Osculi* alicujus, (quamvis *mediat* tantum) rationem habet, quando Chirurgus, liquorem medicum flatu adactus in Venam, canalem infusorium Labiis suis amplius est, & inspirando per eum mali quid facile attrahere posse videtur ex sanguine *Ægrotantis*; ita de *Infectione per Osculum*, vel *Osculo contagioso*, tum in genere de *Contagio* ipso, ejusque differentiis, paucula addamus.

§. 2. Et nemo hic offendatur, dum *novum* quasi *Osculi genus* constituo, quod modò dixi, *Mediatum*. Inter Labia enim Chirurgi, & Corpus *Ægri*, utpote Agentis & recipientis conditionem habentia, intercedit in Insufflatione tertium, quid, Canalis, qui prohibet, ne Chirurgus opus habeat, *immediato* *Oris* sui *Contactu*, Infusionem moliri, quod fieret quidem sub specie propriè dicti *osculi*; sed difficultate suâ non caret. Itaque *Osculum mediatum* nuncupo: & puto, hunc modum loquendi facile toleratum iri, cum nihil frequentius sit, quam ut Charissimos nostros absentes etiam, tanquam præsentes, cæteroquin in Epistoliorum fine scribamus, nos millies osculari; quasi verè daretur *Osculum in distans*, contrectatio blanda corporum sine contactu, conversatio in solitudine, voluptas denique sine præsentia Objecti.

§. 3. Sed, ut his missis, de *Contagio per Osculum*, (propriè dictum, vel *immediatum*) aliquid addamus; si periculosem, quandoq; est, in illo conclavi frequentius versari, ubi *Phtisis* aliquis exstitit; si *halitus phtisiscorum* præcipue est contagiosus, ut in præcedentis Responsoris §. 13. edoctum est; cui periculo se non objiciet, qui phthisi laborantem personam (sèpius præsertim) osculatur? Osculamus enim, ut, si fieri possit, objecti amati tam Labia, Oculos, ac Manus, quam Spiritum ipsum

ac Animam amplectantur : nec fieri potest, quin labia præstum labiis contingendo, magna anhelitū pars migret in alterum , & , si à personis fiat è grè valentibus, mali contagium in alterutram traducatur.

§. 4. Sicq;, sunt quidem *Oscula* penes multos *Libidinis proscenia*: sed caveant sibi pruriginosi *Veneris* filii, ne spe suā potiti, tñā cum Rosis spinas demetant, & *Lue* molestā à personis suspectis feriantur, quoniam *Oscula* talismodi aut *Savia* plerumque *Armata* sunt, aut, ut propriè magis loquar, *Contagiosa*. Vel *Sagittata* etiam possumus dicere, ex *Plauto* (Trinum. 2. 1. 16.) *Omnia me Oscula vulnerabant*, (exstat apud *Petronium*, libidinis magistrum, in *Satyrico*) *omnes blanditia, quascung, mulier libidinosa* *ingebat*. &c. Exempla *Luis Venereæ*, *Osculo contractæ*, non est, ut anxiè quæramus. Fiunteorum quotidiè plures consciī, quām qui sine rubore fateantur; cum tanta sit *Salivæ* *madoris* in *Venere-Infectedis*, *Halitusq;*, transpiratione egressi, malignitas, ut castissimæ sèpe etiam personæ hác labe infectæ fuerint, si fortè ex poculo tantùm biberint, unde Infecta aliqua biberat, vel dormiant, ubi requieverint similes personæ. Ad cujusmodi periculum vitandum, laudabilis in Europâ quorundam populorum consuetudo est, ut etiamsi conversentur, qui nullatenq; sibi à se invicem timere habeant, nihilominus tamen, (peregrino præcipuè) calicem vini propinatum haud facilè porrigant, nisi Aquâ limpidâ priùs affatim purgatum ; & sic iteratò toties, quoties iterum est bibendum.

§. 5. Alium verò Casum *Contagiosi Osculi*, quibusvis aliis infolentiorem, nunc potius recensebo. Inter Observationes illas Medicas rariores, quæ Autore *Edmundo de Meara*, *Britanniæ Medico*, annexæ prostant publicato non ita pridein Examini Ejus, & velut Animadversioni in *Doctrinam Willisia-*

nam

nam de Febris, quædam de *Odore Cadaveroso*, post potum Vini reciproco, legitur, ex Osculo videlicet mortue *Conjugis* contracto. Verba ita sonant p. m. 137: *Vir quidam natus, quoties Vino incalescit, Odorem spirat cadaverosum, sibi ipsi & adstantibus valde gradem; sed Uxori gravissimum, quoties in Venere acceditur. Id ipse mibi confessus est Aquis Calidis, 18. Junij, Anni 1658: quod sibi dixit accidisse ex Osculo Conjugis, quam in Primis Nuptiis duxerat.* Illi siquidem mortua & quatriduana, paulo antequam efferretur, osculum dederat, à quo propter factorem sibi continuo moriendum existimavit. Quâ ratione ejusmodi osculum effectus tam diurni causa esse potuerit, nec semel affectum maritum quoq; paulo post jugulare, aut certè eundem in Morbum gravissimum coniicere; id evolvere nunt quidem non est præsentis scopi. Occasionem verò suppeditat, *Contagij modos potiores ac differentias, strictim hic, tanquam in tabellâ, Responsioni huic necendâ, proponendi.*

§. 6. *Contagium itaq; quod nihil aliud est, quam affectio morbosa talis, quæ non acquiescat in uno aliquo corpore, sed malitiam suam, ope miasmatis, effluvii, aut seminii imperceptibilis, in corpus aliud propaget, ut illud simili malo, tanquam fermento quopiam destructivo, vel statim, vel post minuta aliquot, dies, horas, septimanas, menses, aut annos etiam (vide Cardanum d. Subtil. lib. 2. pag. m. 133.) vitietur; communicatur, (vel contactum suum exercet) diversimodè. Ad sumum verò vel *Immediate* vel *Mediate*.*

§. 7. *Immediate;* quando corpus, quod inficit, & inficitur, sine interventu medii simpliciter se contingunt e.g. osculo, (ut paulo antè dictum,) contrectatione, accubitu, affrictione, concubitu, Sudoris exceptione, &c. quibus omnibus Lues Venerea, Morbilli, Variola, Scabies, Pestis verò

p̄cipue, contagiosorum morborum contagiosissimus, familiariter in alios commigrant. Unde Medici quidam in aliquibus regionibus ferè reformidant in peste infectis, *pulsus* dígito explorare: Habitumque planè mirabilem, quo *Medici Italiæ*, grassante ibi Peste sævissimâ, Anno 1656. usi ferabantur, ut sic à contactu qualicunque lethiferi miasmati se defendarent, depictum vide apud *CL. D. Thom. Bartolinum*, cent. 5. Hist. Anat. 71. de cuius rei Veritate tamen quidam dubitarunt,

§. 8. *Mediæ, atque in distans;* quando inter Corpora duo medium aliquod intercedit, per quod noxium sperma aliundè transfertur, ibique demum se spiritibus insinuat, & alterationem infert; sive sit *Aer*, sive *Aqua*, sive crassior etiam, & palpabilior *Fomes*.

§. 9. *Aëre* quia maximè omnium opus habemus, per eum pleraq; contagiosa spermata ad nos deveniunt, non caute satis ubivis evitanda: maximè tum, quando nonnulli, quorum Morbus signo aliquo manifesto haud æquè proditur, tam inciviles sunt, immò si peste correpti jam sint, tam impii & absurdî, ut *halitum* non dubitent, inter loquendum, alteri afflare; quod sanè multis fuit exitio, ut etiam à *Garmanno* quadtenuis ex *Hier. Jordano* annotatur.

§. 10. *Tum & Aque-Elementum* quandoque, quod *æter* olim vocavit *Pindarus*, commixtu pravi Seminii *æteris* evadit, ut eâ utentes Homines in periculum conjiciantur, quia e. g. linteamina Infectorum in iis fortè lota fuerant, vel excrementitii quid, ab Infecto deducti, in easdem projecta. De Aquis enim, Satanicâ arte intoxicatis nil addo, quia ad Veneficia magis, quam Contagium pertinent; nisi inquinamentum earum à tali subjecto petitum fuerit, quod simili priùs, quo Homo infectus decumbit, morbo teneretur. Videri tamen

mende illis *Kircherus* poterit in libello de Peste, sect. i. cap. 19.
pag. m. 105. seqq. ne alios attingam.

§. 11. Demum *Contagius mediatis jure meritissimo* & il-
la accensentur, quæ miasma aliquid receptum in se non con-
festim valdopere dispergi faciunt, sed altius infixum servant,
& *Fomitem* ipsi præbeunt, in quo sat diu interdum delitescat,
transactisque quibusdam inducius, atque in loca aliena trans-
latum, tum denique noxam priorem inferat, postquam exhi-
liendi rursus ex latebris commotis, occasio est data.

§. 12. In talismodi *Fomitem* non corpora porosa solūm
aut rara quævis inserviunt, e. g. Lecti, Plumæ, Vests, Panni,
Linteamina; ex Lana, lino, gossypio, Serico parata: Libri i-
tem, chartæ, pelles, &c. ex ædibus Infectorum, ut multipli-
ci observatione constat: Sed *Monetam* quoque, transferendi
contagii capacem pereruditè *Tenzelius* judicat, in Tractatu
Germanico de Peste (part. i. cap. 2.) ubi facilem illius cum Me-
tallo adhæsum exemplo Ferri, cui Magnes affrictus, Rerumq;
ex apposito Moscho odorem nectarum, &c. probat.

DUBIUM XVIII.

Totam Rem facilius in Brutis, quam Homine procedere.

Minime prætermittendum videtur hoc Dubium, utut non
directè adeò à quopiam prolatum. Quin per conse-
quens quoddam eruere opus est, ex sequentibus verbis *Nobi-*
liss. & Celeberrimi Dn. D. Georg: Segeri, Médi Regii, & Sideris
in Medico Prussiæ cœlo magni; quibus non tam comparatio-
nem instituit inter Brutum ac Hominem, quam de Homine
tantum benevolè objicit nisi *Impossibilitatem, Difficultatem certè*
quandam. Verba ita sonant, in epistolæ suæ §. 1. *Laudavi,*
&c.

Eccl. --- Solumque Experimentum in Homine si non omnino impossibile, opergium tamen, imo neplurimum infructuosum indicavi.

RESPONSIO.

Breviarium. *Controversia data distinctim declinatur. §. 1.*

In Brutis potius, e.g. Canibus, quælibet operoflora, §. 2.

quæm Corpore Humano. §. 3.

Additamentum, concernens non-medices, de Chirurgiâ Inf: tamen curiosos. §. 4.

§. I.

DE Possibilitate quò minus desperemus, Experimenta varia in homine passim facta, antequam prælens Dubium Lectorum oculis pateret, nobis affatim persuadent. Tum & labor adeò facilis, ut, nisi ingratissimis ullis hoc qualecumque refragium meum ferat *Segerus clarissimus*, sine hæsitatione pronunciem, Infusiones in Homine procedere promptius, quæm Bruto. Est aliquid, quod in Corpore Humano vivente non quidvis periclitari liceat, ob maximam ejus, præ cæteris Animantibus, dignitatem, & Vitæ, nullâ industriâ facile aut culpâ perdendæ, precium. Sed scrupulus talis ad successum Infusionis alicujus jam factæ potius pertinet, quæm administrationem ejusdem & modum faciendæ.

§. 2. *In Brutis (familiarissimè Canibus) etiam si quidvis impunè tentare liceat, multa tamen sunt, quæ vel parvi momenti negocium, hæc ex parte, satis gravant. Nam (1.) Fauces ac pedes stringenda vinculis sunt, ne vel clamor continuus nobis obsit, vel perseverantiâ suâ ipsum subiectum nos frustretur. (2.) Dum vincula adstringuntur, quid non incommodi inferiora corporis egerunt? inque ipso opere (sunt verba*

Verba Elsholtii, Clysmaticæ secundum editæ cap. 4. in fine) à jactatione utcunque vincit animalis non raro turbamur. Hinc (3.) pellis aperienda, & Venæ, non sine omni labore, nudandæ sunt. Accedit (4) earum exilitas, comparatione ad Venas Humanas factâ, præsertim, si venam in aliquo Artuum potius, quam Iugularem, subjecere operi velimus. Tum (5.) non parum etiam deplentur (eadem Artuum Venæ) quia ut Animal servemus nubibus nostris obsequens, oportet extrema ligare: sed ita regressus Sanguinis ex Arteriolis ultimis per Venas impeditur, ut hæ laxæ conniveant, & Lanceolæ usum quadtenuus morentur. Ego alias moræ hujus virandæ studio, pedem illum, in cuius Venam aliquid infundere animus est, linquere soleo liberū, tribus reliquis, & Capite, ligatis, manuq; adstantis gubernandum committere; sed ita aliud labor impli- catur, & tædio fit copia auxiliatricum manuū. Denique (6.) Ob acerbitatem doloris, inficto vulneri succedentem, Canes plerumque pedem illum, in quo administratio fit, nisi arctissimè vincitum ac tensum, contrahunt, contractumque toto Operationis tempore sic servant, ut postea etiam aliquandiu claudent.

§. 3. Contrà, in Homine omnia expeditiora, seu Conclamatum tractemus, seu valentiorem etiam alium. Si con- clamatum, inquietudine nullâ officiet: sin alium; verba iterum laudati Elsholtii sunt, non resistet operantibomo sane mentis, & quis mel consensit. Conspirat prætereà Venarum major, quam in Brutis, amplitudo, nisi quid adsit, quod ipsa turgere omnimodè prohibeat. Neque tot, tam vè valentibus, aut perpetuis per totam Operationem, Ligaturis opus. Neque cutis denique cultro incidenda, ut dimoveatur dolorosè à musculis, conspectuique se Vena sistat.

§. 4. In hac peninsulâ Cimbriacâ quod creberimè mihi
objicitur ab illis, qui administrationē Inventi non viderunt, est
illud, quod multi existimant, conjungi cum Experimento / in
Hōmine) indubie acerbissimum dolorem. Et hanc opinionem
ipsis tantisper linquo, donec publicè proximè alia viderint;
ne scil: nobile studium audacter nimis ab imperitorum mani-
bus, sine meâ aut alterius Medici operâ, pertractetur, ac ena-
scatur occasio, quâ Vitæ Humanæ ex simiarum petulantia
periclitentur.

DUBIUM XIX.

Non turgere Venas in Homine;

HOc est, in conspectum non adeò promptè aut spontaneò
venire, ob superinductam cutim vel pellem, qua in cahis
bus impune separatur, ut Vena venudetur; quod nescio, ait
Celeberrimus Dn. D. Johann van Horne, Belgii decus, & Ordinis
Anatomici Gloria singularis, (in epistolâ suâ, §. 2.) an aut *Egri*
admitterent, aut *Medicus citra calumniam instituere posset.*

RESPONSIO.

Breviarium: *Venarum, ad sectionem sui, impar conditio.* §. 1.

Ligatur averò inventa, ut eò certius feriantur. §. 2.

Erasistrati olim de Venâ secundâ dubium, §. 3.

explosione dignum. §. 4.

§. I.

AGendum demum est breviter, quia pars harum Respon-
sionum, ob penuriam temporis, ad finem properat. Ne-
que magna etiam difficultas in ipsâ est; quod salvâ dixerim
Nobilissimi ac Honoratissimi Dn. Opponensis mei Autoritate. Tur-
gent,

gent, quod ipse abundantissimè scit, in aliquibus Venæ plus, in aliis vero minus. In Carnosis ac Pinguibus minus recte interdum à Chirurgis feriuntur, quod etsunq[ue] profundius delitescunt, nec valdopere à superficie Musculorum eminent. In macilentiis contrà, ob contrariam causam, & gracilem pellem, sunt tantò evidenteriores.

§. 2. In Utrisque verò ut tantò magis turgeant, & aptæ admittendo Canali Infusorio reddantur, Ligatura, more solenni, præcedit, stringenda e.g. in brachio supra locum foraminis, Venæ infigendi; quæ factâ sectione dein relaxanda, ut liquor infusus sine Obstaculo ad Regiam Cordis perferri possit, nec affluente Sanguine ab extremis, Operatio Artificis interim perturbetur. Id quod in Prodromo etiam (§. 21.) p[re]tidem inculcavi; ubi allata Conditio quarta, si placet, videatur.

§. 3. Erasistratus olim & Asseclæ, de quibus superiorius (Respons. ad Dub. 13. §. 4.) actum est, Venæ sectionem ex fero Medico inter alias causas ideò etiam proscribebant, quod Venam secare perdifficile sit, vel ob internotionem vasis, vel ob arteriæ, subtus latentis, incisionem, unde illicò immineat ingens periculum.

§. 4. Sed vel Tirones Chirurgiæ hodie discriminant Arteriam & Venam facile apprehendunt. Nec Vas illud, quod e. g. in brachio, occasione Ligaturæ turgere vident, Arteriam esse pronunciabunt, quoniam à Magistris suis perciperunt, Venas carere pulsū. Et postquam Lanceolæ adinventæ sunt, rarissimè ab illis nunc per errorem Arteriæ pertunduntur cum Venis, quia est Instrumentum valde tursum, ut etiam in Deliciis meis Hybernis, sub finem Inventi mei I. protulii. Aut si Arteriæ denique pertunduntur, non ideò tamen

imminet continuum vitæ periculum, utat facile complicetur
Aneurisma. Quin plurimis, passim, profuit consulto etiam
adhibita in certis partibus certoque casu, Arteriotomia.

DUBIUM XX.

Venas, etiam si turgidas, attamen exiles esse,
Ut patet in Anatomie Venarum manus; banc enim parem pro
ceteris sibi eligeret sua Claritas: verba iterum sunt Nobilissimi
Dñ. D. van Horne, Epistola sua, supra aliae, §. 10.

RESPONSO.

Inferius ad Dubium 54. & 55. directe agendum erit de Ve-
narum, ad Opus Infusionis peragendum, in certis casibus
electione. Hic in genere sufficiat, *Venas patentiores ubi vis esse*
eligendas, (inque Artibus præcipue) utpote que, suffragan-
te CL. Elsboltio, communis mecum in Germaniâ Inventi Cly-
*smatico Infusoriâ Autore & Promotore, (clysmatic. Nov. se-
cundum-edit. cap. 2, pag. 8.) in morbis communiter tundi consue-*
verunt.

PARTIS PRIMÆ RESPONSIONUM FINIS.

GLORIA TRIUNI DEO!

293

I. INDEX EPISTOLARUM.

I.	Dn. D. Philippi Jacobi SACHSII.	Pag. 36.
II.	Dn. D. Johann - MICHAELIS.	38.
III.	Dn. D. Johann · Danielis HÖRSTII.	39.
IV.	Dn. D. Laurentii STRAUSSII.	50.
V.	Dn. D. Johann - TACKII.	51.
VI.	Dn. Henrici OLDENBURGII.	58.
VII.	Dn. D. Johann - van HORNE.	59.
VIII.	Dn. D. Thomæ BARTHÖLINI.	63.
IX.	Dn. D. Johann · JONSTONI.	67.
X.	Dn. D. Casparis MARCHII.	69.
XI.	Dn. D. Johann - Theodori SCHENCKII.	78.
XII.	Dn. D. Henrici VOLGNADII.	80.
XIII.	Dn. D. Georgii SEGERI.	82.
XIV.	Dn. Christiani Frider: GARMANNI.	86.
XV.	Ejusdem.	100.

II. INDEX CL. VIRORUM

jam - Laudatorum,
eodem, ut superius (pag. 35.) Ordine locatorum:
ut quilibet norit,
sub quo Dubio Objectiones suæ extent,
quotquot quidem earum ad hanc Partem
pertinent.

DN. D. SACHSII.

vide Dubium VIII. pag. 208. XV. 266.

DN. D. MICHAELIS,

nullum ad hanc primam Responsonis partem occurrit extra-hendum.

DN. D. HORSTII.

vide iterum Dubium VIII. pag. 208.

DN. D. STRAUSSII,

nullum in hac Parte.

DN. D. FACKII,

vide Dubium II. pag. 134.

DN. OLDENBURGII,

in hac Parte nullum.

DN. D. HORNII,

vide Dubium V. pag. 171. Dub. VIII. pag. 208. Dub. X. pag. 229.

Dub. XIX. pag. 290. Dub. XX. pag. 292.

DN. D. BARTHOLINI,

vide Dubium I. pag. 130. Dub. VI. pag. 178. Dub. XI. pag. 238.

Dub. XIII. pag. 251.

DN. D. JONSTONI,

vide Dubium IV. pag. 170. Dub. VI. pag. 177. Dub. VII. pag.

190. Dub. VIII. pag. 209. Dub. XIII. pag. 251.

DN. D. MARCII,

nullum in hac Parte Dubium.

DN. D. SCHENCKII,

nullum etiam hic.

DN.

DN. D. VOLGNADII,
nullum etiam in hāc parte Dubium.

DN. D. SEGERI.

vide Dubium VI. pag. 176. Dub. XVIII. pag. 287.

DN. GARMANNI,

vide Dubium IX. pag. 213. Dub. XIV. pag. 257. XVI. pag. 272.
Dub. XVII. pag. 282.

III. INDEX DUBIORUM,

Ad quæ in hāc Parte Primā mode-
stè Respondeatur.

- I. Chirurgiā Infusoriam minus accuratē sic vocari. Pag. 130.
- II. Fatalem unicuique præstitutum esse Vitæ Terminum, cuius prolongatio proin per Chirurgiam Infusoriam non debeat tentari. Pag. 134.
- III. Si Æger sub Administratione moriatur, culpam tristis Eventū Medico facilē imputari, ipsumque consequenter Homicidii reum fore. Pag. 163.
- IV. Gloriam Inventi ac Inventoris minimūm diffaniari. p. 169
- V. Olim tutius licuisse experiri, ob Ægrorum majorem obedientiam. Pag. 171.
- VI. Multa Intellectui blandiri, quæ vero ad Experimentum vel planè non, vel non citra periculum, revocari possint. Pag. 177
- VII. Sufficienter demonstrandum esse, Eventum laudabilem omnino sequuturum. Pag. 190.
- VIII. Ma-

VIII. Magnam difficultatem de Medio (dē Infundendi Liquo-	
ris specie) adhuc hærere, nec determinari certi quid.	
Pag.	208.
IX. Ejusdem Liquoris diversos Effectus esse. Pag.	213.
X. Ab Experimento in Brutis facilis non esse ad Hominem ar-	
gumentandum. Pag.	229.
XI. Inventum non esse novum, quia conveniat cum rebus;	
in veteri Medicinâ tritis. Pag.	238.
XII. Vel esse nimis novum: Pag.	250.
XIII. Immò periculosum, quoniam missâ (Infundendi Liquo-	
ris ergò) vel minimâ parte sanguinis, vires Ægri pro-	
jiciantur. Pag.	251.
XIV. Infusoque Liquore Auram malignam ad Venas & Cor	
revocari: Pag.	256.
XV. Introductâ per Artem novâ sanguinis Fermentatione,	
Calorem pr. Nat. augeri: Pag.	266.
XVI. Si Liquor Flatu Oris in Venam impellendus sit, idquè fiat	
à Chirurgo minus - sano, novum Miasma sanguini	
communicari: Pag.	274.
XVII. Vel Chirurgum, exspirando & inspirando in Fistulam,	
ipsum facile auram pravam ab Ægri corpore attractu-	
rum esse; Pag.	282.
XVIII. Et totam rem in Brutis, quam Homine facilis fieri.	
Pag.	287.
XIX. Nam non turgere Venas in Homine. Pag.	290.
XX. Etiam si turgidas, attamen exiles esse. Pag.	292.
<i>Supersunt adhuc Dubia LXVI,</i>	
<i>ex distinctis CL. VIRORUM Epistolis extracta; quorum tracta-</i>	
<i>tio subsequis Partibus destinatur.</i>	

IV. INDEX AUTORUM,

In Parte hác I. Responsonis citatorum.

Prior Numerus, Dubium,
Posterior Responsonis Paragraphum denotat.

- | | |
|------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| ÆGINETA. XI. 23.
<i>Georg. AGRIÇOLA</i> , de Animalibus
subterraneis. <i>ibid.</i> 2.
<i>Henr. Corn: ACRIPPA</i> , de Vanita-
tescientiarum. III. 8. | <i>Casp: BARTHII</i> Notæ in Poëtas
Bucolicos. XVI. 1.
<i>Thom: BARTHOLINI</i>
Anatome Reform. III. 4. VI. 18;
Historia Anatomi. VI. 12. 22.
XVII. 7.
Historia Vas: Lymphat: XI. 15.
Spicilegia de iisdem. <i>ibidem.</i>
lib. d. Usu Pulmonum. XVI. 5.
Lib. d. Nivis usu Med: XIII. 5.
Lib. de Lute Animal. XVI. 11.
Epistola d. Chirurgiæ Infusor: I. 7.
III. 4. XI. 22. |
| AGUILONI Optica. IX. 17. 18.
ANGLORUM Collegium Regium
Experimentale. VI. 12. VII.
19. VIII. 17. | <i>Fabric: BARTOLETTUS</i> . XVI. 5.
BENIVENIUS d. Abditis Morb: &
Sanation. causis. VI. 19. |
| ANONYMUS d. Ortus & Progess.
Clysmaticæ Nove. VII. 11.
<i>Hier. Fabric: A QUAPENDENTE</i>
Operationes Chirurgicæ.
III. 3. VI. 20.
lib. d. Brutorum loquela. X. 14. | <i>Greg: BERSMANNI</i> Versio Latina
Poëta, Phile. XL. 1.
<i>Joh: BEVEROVICHI</i> Epistolæ col-
lectæ de Vitæ Terminofa-
tali. II. 1. |
| ARISTOTELIS
Metaphysica. VII. 30.
Historia Animal. X. 14. | <i>Sacra BIBLIA, Ex iis</i>
Genesis. II. 15. 22. 31.
Exodus. <i>ibidem</i> , 15. 27. 16. 1.
Leviticus. <i>ibidem</i> , 37. |
| <i>Diphensorium AUGUSTANUM</i>
XV. 5. | <i>Pp</i> Deute- |
| AUGUSTI Cæsaris Ajax, Tragœdia.
VII. 12. | |
| AVICENNA. XV. 5. | |
| <i>Bernardinus BALDUŠ</i> d. Verborum
Vitruv: significat: VI. 10. | |

- Deuteronomium.** ibidem, 15. 22.
35. 37.
Libri Samuelis. ibidem, 15. 31.
Libri Regum. ibid. 15. 34.
Chronica. ibid. 31. 38.
Hiob. ibid. 15. 22. 32.
Psalmi. ibid. 15. 22. 32. 35. 37.
Proverbia. ibid. 15. 35. 37.
Ecclesiastes. ibid. 15. 37.
Esaías. ibid. 22. 34.
Jeremias. ibid. 14. 21. 37.
Jonas. ibid. 34.
Liber Sapientiae. ibid. 22.
Ecclesiasticus. ibid. 15. 22. 33. 38.
Matthæus. ibid. 21.
Lucas. ibid. 38.
Epist. ad Hebræos. ibid. 15.
BOCCATI II Geneal. deorum. II. 3.
BODINUS. XVI. 9.
BOETHIUS d. Cottol. Phil. II. 4.
BORELLI Observationes. XI. 6. 16
Olaus BORRICHII. XVI. 5.
Ludovica BOURGESIA. XIII. 5.
Robert. de BOYLE
Experimenta Physico - Mechan.
VIII. 17.
Tentam: Physiologica. VI. 5.
de Infido Exper: successu. VI. 20.
24. 27.
d. Colotibus. IX. 9.
Thom: BROUNE. XI. 22.
CALVINI Lexicon Juris. II. 10.
Phil: CAMERARI Horæ Subcisiæ.
ibid. 4.
- CARDANUS.** XVI. 10.
Idem d. Subtilitate. XVII. 6.
d. Varietate Rerum. VII. 6.
CARPUS d. Fract: Cranii. III. 3.
Renati des CARTES, liber de Homi-
ne. IX. 18.
Petr. CASTELLANI Vita Illustri-
um Medic: X. 6.
Roder: **CASTRO** Medicus Politie-
cus. V. 8. 11. XI. 19.
CELSUS. III. 3. 6.
CHANEPIARIUS d. Atrament.
IX. 10.
CLAUDIANUS. XI. 23.
Jul: Cesar CLAUDINUS d. Ingr.
ad Infirmos. ibid. 6. 7.
Herm. CONRINGII
lib. d. Motu Sanguinis. VI. 12. 18. 20.
lib. d. Hermet: Medic. XI. 3.
Sub Eiusdem auspicio edita.
Introductio in universam Medicina-
nam. X. 2. 6.
Disquisitio d. Venæ Sect. XIII. 4.
Thom: Corn: CONSENTINI Pro-
gymnasmata Phys: II. 8.
CORPUS Juri. Vid. JUSTINIA-
NUS.
CRATONIS Consilia Med: XI. 11.
DALECHAMPII Animadversiones
in Plinium. XVI. 12.
DEMOCRITI Liber de Chamæle-
onte. VI. 18.
Mith: DÖRING. d. Mithridat:
XV. 3.

- Job:** DRAWITIUS d. Scorbuto.
ibid. 6.
- Job:** Sigism. ELSHOLTZII Clysmatica nova. I. 6. VII. II.
XI. 17. 23. XIII. 6. XV. 9.
XVIII. 2. 3. XX.
- ERASISTRATUS.** VI. 17. X. 9. XIII.
4. XIX. 3.
- Thom. ERASTUS** d. Astrolog. II. 8.
- Job:** FABRI Lyncei Expositio Animalium Novae Hispaniae. XVI. II.
- FERNELIUS.** IV. 4.
- Leont:** FIORAVANTA. VI. 12.
XI. 13.
- FOESII** Versio Lat: Hippocratis.
XI. 8.
- Petr. PONSECÆ** Notæ ad Aristoteles Metaphysica. VII. 31.
- FRACASSATUS.** XIII. 6. XV. 9.
- FUCHSIUS** d. Compos Med. XV. 5.
- GALENUS.** X. 5. XIII. 3.
- Eiusdem** lib. d. Temperamentis. II. 8.
& quod Animi vires Temporem Corporis sequantur.
ibid.
- Anatomica.** X. 10.
d. Locis Affectis. XIII. 5.
d. Venæ sectione adversus Erasistratum. ibid. 4.
- Job:** Pauli GALLUCII Theatrum Mundi & Temporis II. 8.
- Aul:** GELLIUS. ibid. 7. & VII. 12.
- Job:** GEYLERI Navicula Stultorum. V. 2. sequ.
- Laur:** GISELERUS de Peste Brunsvicens. XIV. 10.
- Job:** GORRAEI Notæ in Alexipharmacæ Nicandri. XI. 23.
- GRATII Cynegeticon. XVI. 1.
- GROTIUS de Jure B. & P. XI. 23.
- HARVEUS d. Motu Sangu. X. 12.
d. Generat. Animali: ibid. §. 4. 12.
- Henr. ab HEER Observationes Medicæ. VI. 21.
- HELMONTIUS XIII. 4. XV. 2.
- Franc: HERNANDEZ Historia Mexicana. XVI. II.
- HERODOTUS. XI. 2. 3.
- HEURNII Praxis Med. XI. 1. sequ.
- HILDANI Observationes. III. 3.
- HIPPOCRATES. XIV. 13.
- Eiusdem* Jusjurandum. V. 10. II.
Lex. III. 7.
lib. d. Medicos. V. 7. 8.
lib. d. Arte. I. 2. II. 20.
lib. d. Decenti Habitum. V. 9.
VII. 14.
lib. d. Ratione Victus in Medicis. Acutis. III. 8. XI. 8.
Epidemia. III. 7. V. 8.
Aphorismi. II. 20. VII. 14.
Epistolæ. X. 8.
- Casp:** HOFMANNI
Institut. Medic. XIII. 3. XVI. 14.
Oratio de rat. discendi Medicinam. VII. 36.
- Manrit:** HOFMANNI Theses Med: de Venæ Sectionis necessitate. XIII. 4.

- Jac: HOLLERIUS de Morbis In-ternis.** *III. 4.*
- HOMERUS.** *V. 9.*
- HORATH odz.** *XI. 23.*
- Job: Dan: HORSTH** *Judicium Epistolicum de Chirurgia In-fusif.* *I. 7. XI. 22. 24.*
- Hieron: JORDANUS.** *XVII. 9.*
- Hadr: JUNII Lexicon.** *XI. 23.*
- JUSTINIANI Pandectæ.** *VI. 15. XI. 8.*
- Marc. KERGERUS d. Fermentatio-ne.** *XVI. 14.*
- KIRCHERUS de Peste** *XIV. 5. XVII. 10.*
- Georg. Capp: KIRCHMEIERI Dis-putatio d. Basilisco.** *XVI. 8. sequ.*
- LAMPRIDIUS.** *VI. 15.*
- Petr. LAUREMBERGII Porticus Aesculapii.** *II. 17. seq. & §. 30. 34. X. 6.*
- LIPSIUS d. Constantiâ.** *II. 9. 23. 24. 29. 39.*
- LUCANUS.** *XI. 23.*
- Nicol. d. LYRA comment. in Jobum** *II. 22.*
- MACROBIUS.** *VII. 12. XVI. 11.*
- Sim. MAJOLI Colloquia.** *VI. 14.*
- Job. Marcus MARCI d. Arcu Cœlesti.** *IX. 20.*
- MATTHIOLUS.** *VII. 19.*
- Sebast. MAYERI Selecta Physico-Med.** *XI. 13.*
- Edmundi de MEARA ob-servations Med.** *XVII. 5.*
- MEDICI Londineas.** *vid. Anglo-rum Collegium.*
- MENASSEH - Ben-Israël de Vita Termino.** *II. 1.*
- MESUES.** *XV. 5.*
- Sub Godo fr. MOEBII Prefidio habita-** *Disputatio d. Legitimo Venæ sectionis usu.* *XIII. 4.*
- Renati MOREAU Epistola.** *III. 4.*
- NICANDRI Alexipharmacæ.** *XI. 3.*
- OCELLUS Lucanus.** *II. 7. VII. 12.*
- Ad: OLEARII Itinerarium Persiæ.** *XVI. II.*
- OVIDIUS.** *XI. 23.*
- Eiusdem Libri Tristium.** *VII. 12.*
- PANAROLUS.** *VI. 18.*
- Ambr: PARÆUS.** *III. 3.*
- Petri PAUW libell. d. Peste** *XIV. 5.*
- Succenturiatus Anat:** *III. 3.*
- Franc: PETRARCHÆ Poëmata Italica.** *XIII. 3.*
- PETRONIUS.** *XVII. 4.*
- PHILE, Poëta Græcus, de Proprie-tat: Animal.** *XI. 1.*
- PINDARUS.** *XVII. 10.*
- PLAUTI Asinaria.** *XVI. I.*
- Mercator.** *VI. 13.*
- Poenulus, ibid. 15.**
- Rudens.** *XVI. 1.*
- Triumimus.** *XVII. 4.*

- Franc: PLAZZONUS de Vulnere** *bus Sclopèt: XI. 13.*
- PLINII Historia Naturalis.** VI. 18.
sequ. XI. 1. 2. 23. XVI. 3. 7.
8. 10. 12.
- PRUDENTII Psychomachia.** V. 1.
- PYTHAGORAS.** VII. 12.
- Job: RHODII observationes.** III. 3.
- Job: RIOLANI Enchiridion Anatomo-**
micum. VI. 20. 21.
- RIVERII Medicina Practica.** III. 4.
XVI. 13.
- RONDELETIUS.** XI. 11.
- Idem de Piscibus.** X. 13.
- Fr: ROUSSETUS.** VI. 12.
- Olaus RÜDBECK.** XI. 15.
- Eiusdem lib. d. Insid: structis.** X. 16.
- RUFFUS Ephesus.** ibid. §. 5.
- Phil: Jac: SACCHII Epistola, de**
Chirurgia Infus; XI. 13.
- Tarducci SALVI Chirurgus.** X. 7.
- Job: Mich: SAVANOROLÆ Pra-**
ctica Canonica. 1. 7.
- Sebast: SCHEFFERI Introductio in**
universam Medic: X. 2. 6.
- Josepb: SCHMID de Instrumentis**
Chirurg: III. 3. XI. 12.
- SCHOENBORNERI Manuale**
Medicinæ Practicæ. XV. 5.
- SCHROEDERI Pharmacopœia.**
IX. 23.
- Anne SCHURMANNIÆ Disserta-**
tio de Vitæ Termino. II. 1.
- SENECA d. Providentiæ.** ibid. §. 7.
- SENECÆ Poëtæ, Oedipus.** ibid.
- Dan: SENNERTI**
- Institut. Medic.** XI. 7. II. XIII. 2.
- lib. d. Conf. & Diff. Chym. XV. 7.
- Sebast: SERLII Architectura.** IX. 16.
- Marc: Aurel: SEVERINI**
- Zootomia Democritea.** VI. 18.
X. 4. 14.
- Vipera Pythia.** XV. 3. XVI. 9.
- lib. de Medicinâ vel Chirurgiâ
efficacj. III. 5.
- Epistola ad Timæum Locren-**
sem. II. 8.
- SOLINUS.** VI. 14. XVI. 3. 8.
- Job: SPERLINGII**
- Institut. Physicæ.** II. 7.
- Zoologia.** XVI. 8.
- STATII Sylvæ.** II. 18.
- Nicol: STENONIS observations**
Anat. d. glandulis oris.
XVI. 14.
- Franc: de Le Boe SYLVII Disputa-**
tiones Medicæ. XVI. 14.
- Ottonis TACHENII Hippocrates**
Chymicus. IX. 8. 9. 14. 17.
- Frid: TAUBMANNI Notæ in Plau-**
tum. V. 15. XVI. 1.
- Andr: TENZELIUS de Peke.** XIV.
§. XVII. 12.
- TIMÆI von Güldenklee Casus Me-**
dicinal. XV. 5.
- TULPII observations.** III. 3. 4.
- Polyd: VERGILIUS de Rerum In-**
vent: XI. 2.
- VERULAMII Sylva Sylvarum.**
VII. 3.

lib. d. ~~Naturali Philosophia.~~
1. 6. III. 8. VII. 36.
VESALIUS. X. 10.
VIRGILII Eclogæ XVI. 1. 10.
Æneis. II. 15.
VITRUVIUS. VI. 10. 19. IX. 10. 13.
Carol; Emman; VIZZANII Com-
mentar. in Ocell; Luca-
num; II. 17. VII. 12.

VLPIANUS. vide JUSTINIANUS.
Gerb. Job. VOSSI Etymologicum.
II. 3. VI. 10.
Th. WHARTONUS de Glandulis.
XVI. 14.
Thomas WILLIS de Fermentatione.
IX. 8. & sequ. & §. 15. 17.
19. 20. XIV. 5. 11.

V. INDEX RERUM ET VEBORUM

in hac Parte I.

- Prior Numerus iterum denotat Numerum
Dubii, posterior Paragraphum Responsonis.
- Absinthii Alkali, confusum solutioni Vitrioli Martis, citrina-*
scere ipsam facit. IX. 14.
- Accipitrem apud Ægyptios interficere, capitale.* XI. 2.
- Acida in Febribus contra sitim cautè danda.* IX. 11.
- - - Humauo Sanguini confusa, eundem coagulant. ibid.
- - - Rubedinem quandoque conciliant. IX. 13.
- Adamo quondam fuit perfecta rerum noticia.* l. 2.
- Die Aldern übertreiben / quid?* XV. 2.
- Adspexit diri & lædentes.* XVI. 1. sequ. & §. 8. sequ.
- Adstantium officia.* III. 9.
- Ægri Prognostico simpliciter non linquendi.* III. 2. seq. IX. 3.
- - - oboedientiores olim & nunc alibi, quam hodie in
Germaniâ. V. 3.
- obe.

- - - oboedientes & patientes sint. V. i. sequ.
- - - oboedientes quomodo reddantur. V. 5. sequ.
- - - convalescentes interdum absque Medico. II. 20.
- Aegris* quandoque gratificandum. V. ii.
- Aegrorum* despiciuntur. Nolæ septem. V. 2. sequ.
- - - tolerantia & consuetudo ubivis attendenda. XIII. 2. 3.
- Aegyptii* Clysterum Inventores. vid: *Clyster.*
- Aegyptii* Bestiæ quævis sacræ. XI. 2.
- Aegyptiorum* menstruæ Medicationes. XI. 3.
- Aer*, commixtæ contagii vehiculum. XVII. 9.
- Aetas* quæ commodior ad Experimenta? VII. 16.
- Aetatis* Virilis prærogativa. ibidein.
- Aetbiopes* sagittas veneno tingebant. XI. 23.
- Ajax*, Tragœdia Augusti Cæs: VII. 12.
- Alati* Serpentes Arabiæ. XI. 2.
- in *Albedine* qualis conditio radiorum lumenorum? IX. 20.
- Albedinis*, per præcipitationem, productio. ibid, §. 8.
- Aldrovandi* diligentia insolens. X. 14.
- Alexandri* M. in Aristotelem liberalitas. VII. 19.
- Alkali* Absinthii. vid. *Absinthium.*
- - - Tartari. vid. *Tartarus.*
- - - Urinæ. vid. *Urina.*
- Ambidextrum* esse, bonum Experimentatori. VII. 16.
- Americanorum* Sagittæ Venenatae. XI. 23.
- Ammoniaci* Salis spiritus volatilis Pelvi æneæ immissus, aquam
in eâ cœruleam facit. IX. 15. 16. 23.
- - - Sanguini Humano
mixtus, fluidum eundem & rubrum servat, ibi-
dem, §. 12.
- Anacardine* Confectionis laus & usus. XV. 5.

Ana-

Analogia Hominis & Bruti. X. 2. sequ.

Ananies mors. II. 14. 21.

Anastomoses probans Experimentum. XI. 17.

Anatome à Brutis incipienda. X. 5.

- - - Brutorum frequentata. ibid. §. 8. sequi.

- - - Hominis vivi. ibid. §. 9.

- - - Insuloria Borelli. XI. 16.

Anatomes subjectum an etiam Brütum? X. 5. 6.

Angliae Medicorum felicitas ex Liberalitate sui Regis. VII. 19.

Anbelitus. vid. *Halitus.*

Animalium ortus ex Ovo. X. 4.

- - - descriptor Aristoteles. ibid. §. II.

- - - . Harveus. ibid. §. II.

Animi deliquium. vid. *Lipothymia.*

Antimonii Butyrum. IX. 14.

- - - Clyssus. vid. *Clyssus.*

Antimonium Diaphoreticum. IX. 8.

Aphonia ex Terroro. XVI. II.

- - - Lupo viso. ibid. §. 10. II.

Apollini Lupus dicatus. ibidem.

Apoplecticorum vala Pulmonis rupta. XIII. 6.

Aqua Ferrata. Lienes absumentis. VI. 19.

- - - Fortis, Venæ Infusa, mortifera. XIII. 6.

- - - Rubedinem delitescitem provocans. IX. 13.

- - - Saphirina vel cœlestis. ibid. §. 16. 2.

- - - Simplex, Arteriæ infusa. XI. 17.

- - - Stimmæ. vid. *Clyssus Antimonii.*

Aque aptæ sunt, ad Contagium transferendum. XVII. 10.

- - - intoxicatae. ibidem.

Aquapendentis Studium & Scripta. X. 14.

- ex Aquis communiter destillatis Vitriolum separare.* IX. 17.
Arabes quidam maligni Pirati. XI. 23.
Araneis comparati Medici Rationales. VII. 37.
Arbitrium liberum cur homini concessum? II. 28.
Architecti quidam celebres, VI. 10.
Aristotelis felicitas ex Alexandri M. liberalitate. VII. 19. X. 11.
Armorum infectio, contra jus Gentium. XI. 23.
Ars Enematica, vel Clysmatica nova. ibid. §. 17.
in Arteriam foeminae mortuae infusa Aqua calida. ibidem.
Arteriarum distributio per minima viscerum. ibid. §. 18.
Arteriotomia. XIX. 4.
Arteriotomie utilitas. III. 4.
Artes quædam an fine Experienciam nascantur? VII. 32. 33.
Ase, Regis, mors. II. 38.
Ascite, natione Arabes. XI. 23.
Astellius, Lactearum Inventor. X. 14.
Asplenii esu Lienes absunti. VI. 19.
de Astrologico Fato quid statuendum? II. 18.
Atramenti materia. IX. 10.
 - - - mutatio in brunum. ibid. §. 9.
 - - - extincio. ibid. §. 10. 22.
 - - - extincti Resuscitatio. ibidem.
Augustus Cæs: Ajacem spongiam delens. VII. 12.
Avium analogia cum Homine. X. 4.
 - - - ventriculi, lapillis pleni. ibidem.
in Auratio vitri. XVI. 6.
Aurifaborum quorundam oscitantia. VII. 26.
Austeri Medici, odiosi. V. 9.
Automati similitudo cum corpore humano. II. 22.
Autoritatibus solis non nitendum. VII. 2. 8.

- Balsamum liquidum Vulnerarium.** XI. 13.
Barbarorum sagittæ venenatæ. ibid. §. 23.
D. Th: Bartholinus, Anatomicus summus. X. 15.
Basiliscus verè datur. XVI. 8.
 - - - an perimat ad pfectu? ibdem, & sequ.
Basilisci Trivenefica vis, ibid. §. 9.
Benzoini solutio præcipitata albelcit. IX. 8.
Bestia omnes Sacræ Ægyptiis. XI. 2.
Beverovicii Studium de vitæ Termino rectè capiendo. II. 1.
Bezoardica Essentia D. Cassii. XV. 4.
Bezoardicum Minerale. IX. 8.
in Bibendo mundities quorundam Europæorum. XVII. 4.
Olai Borrichii laus. XVI. 5.
Ludovica Bourgesia, celebris Obstetrix. XIII. 5.
Brunus color ex Atramento. IX. 9. 22.
 à Brutis Homo multa didicit. XI. 2.
Brutorum Analogia cum Homine. X. 2. sequ.
 - - - Anatome frequentata, ibid. §. 8. sequ.
et Bullito ex confusione certorum Liquorum. IX. 9. 14. 22.
Butyrum Antimonii. vid: *Antimonium*.
Cadaverosus odor, ex Osculo, Defunctæ illato. XVII. 5.
Calcis vivæ & Tartari usti Lixivium. IX. 14.
Callias, Architectus olim celebris. VI. 10.
Calor indurat & liquat. IX. 6.
 - - - in Venis accensus, multiplicis mali Autor. XV. 2. sequ.
Canalis Infusorii delineatio. VII. 26.
Canes innumeri à Rudbekio dissecti. X. 46.
 - - - quot modis Chirurgiam Inf: reddant difficilem. XVIII. 2.
Canibus Splenes exempti. VI. 16.
Capita animalium convenient in certo charactere. X. 4.

- Capitis Dolor.* vid: *Cephalalgia.*
Capparum vis antisplenetica. VI. 19.
Carchesium, machinæ species. *ibid.* §. 10.
Carminativi Clysteres. vid. *Clysteres.*
D. Cassii Essentia vel Elixir Bezoardic: XV. 4.
Casu pauciora, Ingenio plura, inveniuntur. VII. 36.
qualis Causa, talis effectus; ut capendum? IX. 5.
Celeritatis insolitæ cursores. VI. 14.
Cephalea ac Cephalalgia Trepano soluta. III. 3.
Cephalalgia à Spiritu Cochleariæ. XV. 6.
Certitudo habetur in Experientiâ & Ratione. VII. 35.
 - - - quotuplex? II. 18.
Cervi Cornu. vid: *Cornu.*
Chameleon splene carēt. VI. 18.
Charta cœruleæ in rubram mutatio. IX. 13.
Chirurgia Infusoria quotuplex? VIII. 3. sequ.
 - - - quomodo communioribus remediis præstet? IX. 1. 4.
Circulatio particularis, Sanguinis. XI. 17.
Circumstantie variæ Experimentum vel retardant, vel promovent: quæ proin sedulò notandæ. VII. 27.
Cleopatra quomodo citius ab Aspide confici potuisset? XI. 22.
Clysmatica nova D. Elsholtzii. I. 6, VII. II. XI. 17.
Clyssus Antimonii Aquam Saphirinam extinguit. IX. 23.
 - - - Sanguini Humano confusus, eundem coagulat. *ibid.* §. 11.
Clyster inebrians. XI. 6.
Clysteres quotuplices. *ibid.* §. 14.
 - - - alterantes. *ibid.* §. 6.
 - - - calefactientes. *ibidem.*
 - - - refrigerantes. *ibidem.*

- - - tepidi injiciuntur; interdum & actu frigidi; ibid.
- - - abstergentes. ibidem.
- - - adstringentes. ibidem;
- - - glutinantes. ibidem.
- - - lenientes. XI. 5.
- - - evacuatorii. ibidem.
- - - carminativi. ibid.
- - - anodynai. XI. 7.
- - - nutrientes, & quo respectu? ibidem.
- - - uterini. XI. 10.

Chyferum inventio antiquissima in Aegypto. ibid. §. 1.

- - usus magnus ad Sanitatem servandam. ibid. §. 3. 4.
- - abusus prohibitus. ibid. §. 8.

Cochlearie Spiritus quomodo Cephalalgiam inducat? XV. 6.

- - - Sale volatili abundat. ibidem.

Cæcum intestinum. vid. *Intestina*.

Cærulea Aqua in usus Theatrales. IX. 16. 17.

- Cærulei coloris* productio. ibid. §. 14.
- - mutatio in rubrum. ibid. §. 13.
- - - viridem & fuscum. ibid. §. 17.
- - - extinctio. ibidem.
- - - resuscitatio. ibidem.

Color albus. vid: *Albedo*.

- - niger. vid. *Nigredo*: & confer, *Atramentum*.
- - fuscus. vid. sublit. F.
- - rufus ac ruber. vid. *Rubedo*.
- - brunus. vid. sub lit. B.
- - cupreus. vid. *Cuprum*.
- - purpureus. vid. sub. Lit. P.
- - cœruleus. vid. paulò antè, sub syllabâ *Cœc.*

- - - Opali. vid. sub. lit. O.
- - - gilyus. vid. sub. lit. G.
- - - flavus ac fulvus. vid. sub. lit. F.
- - - citrinus ac croceus. confer. *Flavedo*.
- Color oculis gratissimus quis?* *XI.* 18.
- Colorum subjecta varia*. ibid. §. 7. sequ.
- - - causa, an Sal, Sulfur, vel aliud quid? ibid. §. 19.
- - - phœnomena varia ex diversâ liquorum mistione, particularum positu, & radiorum refractione. ibid. §. 7. seq. & §. 20.
- - - extinctio arbitraria. ibid. §. 7. sequ. & §. 15. 22.
- - - extinctorum resuscitatio extemporanea. ibid. §. 10. 15. 21. & sequ.

Confessio Anacardina. vid. sub. lit. A.

D. Conringii Laus *XII*. 4.

Constantia Experimentatori necessaria. *VII.* 15.

Consuetudinis magna vis. *XIII.* 3.

Consuetudo Ægri attendenda. ibid. §. 2. 3.

- - secundum locum habet in Indicationibus. ibid. §. 3.

Contagium quid & quotuplex? *XVII.* 6.

- - immediatum. ibid. §. 7.

- - in distans, vel Mediatum. ibid. §. 8. sequ.

Contagiorum somites. ibid. §. 11. 12.

Contractio Pedis vid. *Pes*.

Spiritus Cornu Cervi, purpuram in viorem mutans. *IX.* 17.

Corpus Humanum. vid. *Homo*.

Cosmeticum ex Benzoino. *IX.* 8.

Cranii fracti trepanatio. *III.* 3.

Croceus color. vid. *Flavedo*.

Cuprei coloris productio *IX.* 14.

Capri in Orichalcum mutatio. *ibid.* §. 14.

Curationes difficiles in casibus Dubiis non negligenda *III.* 2. seq.

Cursores insolitæ celeritatis. *VI.* 14.

- - - Romanorum, erant Servi. *ibid.* §. 15.

Curforibus quatenus Lien aut Hepar oblit? *ibid.* §. 13.

- - - Lienes an exempti, vel eximendi? *ibid.* §. 12.

Dei Voluntas qualis aut quotuplex? *I.* 21. 26. 27. 29.

Deliquium animi. vid: Liporrhymia.

Demetrius Rex, Poliorcetes dictus. *VI.* 10.

Democritus, diligens Zootomicus X. 8.

Deo ut quāsimiles reddamur. *VII.* 14.

Deus perfectissimè scit & vult. *II.* 24.

- - - omnia videt. *ibid.* §. 4.

- - - per oculum notatus hieroglyphicè. *ibidem.*

- - - necessitati Fatorum subjectus à Stoicis *II.* 7.

- - - Sanitatem & mortem immittit. *III.* 9.

Diatetica Chirurgia Infusoria. *VIII.* 6.

Diaphanum, vid. *Transparenſia*.

Diascordii plus in Peste. *XV.* 4.

Dies Fatales JCtis qui? *II.* 10.

Difffidentia nimia contra semet ipsum in studiis, errorum

Nutrix. *IV.* 5.

Diogenetus, Architectus celebris Rhodiōrum. *VI.* 10.

Dispositio diversa materiæ parat distinctos effectus. *IX.* 5. seq.

Divitiae, Experimentatori necessaria. *VII.* 17.

Doli boni Medicorum. *V.* 11.

Dolor capitis. vid. *Cephalalgia*.

ob Dolorem vulneris, contractio pedis. *XVIII.* 2.

Dubitatio ternario numero comparata. *VII.* 12.

- - - Experimentatori necessaria. *ibid.* 9. sequ.

- nimia non sit : ibid §. 12.

Duratio certa in Experimentis faciendis spectanda. VII. 28.

in Ebriatio ex clystere. XI. 6.

Effectus distincti sequuntur distinctam materię dispositio-
nem. IX. 5. sequ.

Electuarium Sapientum. XV. 5.

Elegantia quæ & quotuplex à Medico affectanda? V. 7. sequ.

Elixir Magnum Fioravanti. XI. 13.

D. Elsholtzii Clysmatica nova. I. 6. VII. II. XI. 17. XIII. 6.

- - - Laus. XIII. 6.

Empirici formicis comparati. VII. 37.

Enematica Ars, vel Clysmatica nova. XI. 17.

Ephirai quinam olim ? *ibid.* §. 23.

Ephiraeorum Sagittæ venenatæ. *ibid.* §. 22.

Epimachus, Architectus celebris Atheniensium. VI. 10.

Equis Splenes exusti. *ibid.* §. 20.

Erasistratus Bruta multa dissecuit. X. 9.

- - - indignè Phlebotomen proscriptis. XIII. 4. XIX. 3.

Erica vis ad Splenes minuendos. VI. 19.

Errorum causæ in Medicinâ. IV. 4.

- - - in totâ Experimentali Sapientiâ. VII. 8.

Erysipelas Critico Symptomaticum. XIV. II.

Essentia Bezoardica D. Cassii. XV. 4.

Exanthemata Pestilentialia. XIV. 5.

Exanthematum malignorum retrocessio periculosa. *ibid.* §. 6.

in Exemplari parvo quæ procedunt, in opere majori propterea
non succedunt. VI. 9. sequ. VII. 24.

Experientia quid, & unde dicta? VII. I.

- - - *philosophia* mater. *ibid.* §. 20.

- - - *confirmat,* *ibid.* §. 36.

- ratione carens an tolerabilior, quam ratio, experimen-
to destituta? ibid. 33. sequ.

*Sine Experientia an etiam Artes quædam aut scientiæ nascan-
tur?* ibid. §. 31.

Experimenta sape non succedunt, & cur? VI. i. sequ.

- duplia sunt. VII. 3.

- iteranda, nec uni statim credendum, ibid §. 29. 30.

- variant, pro varietate subjecti patientis. IX. 5. sequ.

Experimentatoris conditiones quæ? VII. 5. sequ.

Experimenti conditiones. Ibid. §. 4.

Experimentum specialissimè quid? ibid. §. 3.

- quomodo obtainendum, ne nos fallat? ibid. §. 4. seq.

Exsectio splenis. vid. *plen.*

Extremis malis convenient remedia extrema. XIII. i. XIV. 13.

Sal stiptum Fabarum, solutioni Vitrioli Martis confusum, ipsam reddens ochraceam. IX. 14.

Fasinum oculorum. XVI. i. sequ.

de Fatali Vitæ Termino discursus prolixus. II. toto.

Fatum, id est, Mors II. 18.

- unde dicatur? ibid. §. 3.

- quid vulgo dicatur? ibid. §. 6.

- difficile definitur. ibid. §. 5.

- Stoicum. ibid. §. 7.

- Astrologicum. ibid. §. 8.

- Physicum: ibid. §. 9.

- quid JCtis dicatur? ibid. §. 10.

- Theologicum. ibid. §. 11.

Febres Artificiales, XV. 5.

- ex calidioribus Medicamentis, ibidem.

in Febribus acida cautè danda. IX. 14.

- Febris*, Morbum solvens XV. 1.
 - - - Purpura, vel miliaris. XIV. 9.
Fermentatio Sanguinis ut resuscitanda? IX. 12.
Fermentativa vis salivæ. XVI. 14.
Ferrate Aquæ potu Lienes absumti. VI. 19.
Ferrei splendoris in cupreum mutatio. IX. 13.
Finis conditionatus Medicinæ. II. 20.
Fioravanti Elixir magnum. XI. 13.
Flatūs immissio in meatus partium obscuriores. ibid. §. 14. 15.
 in *Flavedine quomodo dispositi Radii Luminosi?* IX. 20.
Flavedinis productio. IX. 9. 14.
Forum Tincturæ: vid. Tinctura.
ex Fluiditate Sanguinis nimiâ Mors. XV. 9.
Fluor Sanguinis permanens à spiritu Salis Ammon: IX. 12.
Fætorem excitans spiritus Nitri. ibid. §. 14.
Follis usus Anatomicus. XI. 14. 15.
Fomites contagiorum. XVII. II. 12.
Formicis Empirici comparati: VII. 37.
Formositas Medicum commendat. V. 7.
Fracassati Experimentum infusorium. XII. 6.
 in *Fracturis Cranii, Trepanatio utilis.* III. 3.
Fraus. Confer *Dolus.*
ex reFrigeratione Corporis, retrocessio exanthematum.
 XIV. 6. 9.
Frigidum, Venas frangens. XIII. 5. 6.
Fuliginis Sal, solutionem Mercurii præcipitans. IX. 8.
Fusci Coloris productio. ibid. §. 9.
Galenij studium Anatomicum. X. 10.
Gallarum Infusum, solutioni Vitrioli mistum, protinus fit A-
tramentum. IX. 10. 22.
Genista vis ad minuendos spenes. V. 11.

Gete Sagittas inficiebant. XI. 23.

Gibus color ex Lixivio Calcis & Tartari usci. IX. 14.

ex Glacie devorata, Venæ ruptæ. XIII. 5.

Gluten ex Halitu humano. XVI. 6.

Gratificandum Ægris quandoque. V. ii.

Habitus Medicorum Ital: tempore Pestis. XVII. 7.

Halitus Hominis, aliis molestus. XVI. 2. seq. & §. 12. sequ.

Halitus Humani visciditas, ibid. §. 4. 6.

- - - Sal & Sulfur. ibid. §. 5.

- - - crystalli, phthisicis utiles. ibidem.

- - - usus, loco glutinis. XVI. 6.

Harvæi felicitas, ex liberalitate sui Regis. VII. 10.

Helepolis, machina hostilis. VI. 10.

Helmontius male phlebetomen perstringit. XIII. 4.

Hepar cursoribus officit. VI. 13.

Herophilus Bruta multa secuit. X. 9.

in Hominem Infusio facilior, quam in Bruta. XVIII. 3.

Hominis & Brutorum Analogia. X. 2. sequ.

- - vivi Anatome. ibid. §. 9.

Homo quatenus Astris subjaceat? II. 8.

- - similis Bullæ. ibid. §. 18.

- - - horologio. ibid. §. 22.

D. Hornii laus. X. 2. 17.

Horologii & hominis convenientia. II. 2 2.

Humani corporis materia varia. ibidem.

Ibis, Avis, Clysterum inventrix. XI. 1. sequ.

- - Ægyptiis sacra. ibid. §. 2.

- - Ciconiæ similis. ibidem.

Infectio Armorum. confer, Venenum.

Infusio in hominem facilior, quam brutum. XVIII. sequ.

- - olei Tartari facta in cane, quid effecerit? XV. 9.

- - in Viscus aliquod. XI. 18.
- - - placentam Uterinam, ibid. §. 17.
- Infusionis vox*, Latina satis. XI. 8.
- - (vel Ingestionis in Venam) modi varii: per Expressio-
nem, Insufflationem, Transfluxum spontane-
um, & Vaporationem. XV. §. ult.

Infusoria Anatome Borelli. XI. 16.

Infusum Gallarum, vid. sub lit. G.

Ingenium ad Experimenta requiritur. VII. 7. IX. 3.

- - plura invenit, Casus pauciora. VII. 36.

Joh: Phil: ab *Ingrassia*, Veterinariæ patronus. X. 6.

Johannis Ph: ab *Ingr*: laus & monumentum ibidem.

Injectio, Clysterum succedanea: eaque quotuplex. XI. 9.

- - in Vulnera profundiora. ibid. §. 13.

- - - Pleuritidem suppuratam, ibid. §. 12.

- - - Penem, & Vesicam. ibid. §. 11.

- - - Uterum. ibid. §. 10.

Injectiones Anatomicorum, curiositatis ergò suscepτæ: ibid.
§. 14.

Instrumenti Infusorii delineatio. VII. 26.

Instrumentorum necessitas ad Experimenta facienda. VII. 25.
sequ. VIII. 1.

Intestinacæa Animalium utut discrepent, in aliquo tamen
conveniunt. X. 4.

Inventa nova Censuris hominum statim obnoxia. IV. 1.

- - plura ingenii, quàm casūs. VII. 36.

Inventio in Experimentis sit semper prima. ibid. §. 6.

Italæ Pestis sævissima. XVII. 7.

Judicia hominum non semper attendenda. IV. 3.

Judicium requiritur in Experimentatore. VII. 13. 14.

- difficile. ibid. §. 14.
Zulebi acidi an convenient in Febribus. IX. n.
 - cærulescetes ut rubri statim fiant? ibid. §. 13.
Georg. Casp. Kirchmeier laus. XVI. 8.
Lactea Vena ab Afellio inventæ. X. 14.
 - an olim Galeno cognitæ? ibid. §. 10.
Lactis Infusio in Vasa Placentæ Uterinæ. XI. 16.
 - Venas Hominis adulti. VIII. 6. 7.
Ladas, cursor olim velocissimus. VI. 14.
Lapilli in ventriculis Avium. X. 4.
Laryngotomie utilitas. III. 4.
Liberalitas Principum, faustum Experimentatorum quorundam
 Sidus. VII. 19.
Libertas Arbitrii Humani. vid, *Arbitrium*.
Lien. vid: *Splen*.
Ligaturarum usus ante Venæ Sectionem. XIX. 2.
Lipothymia ex Sanguine misso aut viso. XIII. 2.
 ex Liquorum diversâ confusione, diversi Colores. IX. 7. seq.
Literæ. confer, *Scriptura*.
Lixivium Tartari & Calcis vivæ. IX. 14.
Locus commodus Experimentatori necessarius, isq; quotplex
 VII. 28.
Londinenses Medici. confer, *Anglia*.
Lues Veneris contagiosa. XVII. 4.
 ex *Lupi* morsu Rabies. XVI. n.
Laporum visus acerrimus, ibidem.
 - an noxius? ibid. §. 10.
Lupus Apollini dicatus. ibid. §. 11.
Lux oculis connata. XVI. II.
Lympba an in spinalis medullæ medio? XI. 15.

Lym

Lymphatica vasa flatu explorata. ibidem.

Machinae. confer, *Mechanica.*

Macula Pestilentiales. XIV. 5.

D. Joh. Marci *Marcilaus.* IX. 20.

Mareschalli, i. e. Mulomedici. X. 7.

Materia diversa dispositio parit diversitatem effectus. IX. 5.
sequ.

Mattbioli felicitas ex Imperatorum ac Principum liberalitate.
VII. 19.

Mauri olim strenui Jaculatores. XI. 23.

Mechanica opera s̄aþe non procedunt, utut in minori exemplari processerint. VI. 9. sequ.

Medicamenta, sine Ratione, nihil. VII. 36.

- - - *Cosmetica.* vid. sub lit. C.

Medici Londinenses, confer; *Anglia.*

- - - *Naturæ auxilio opus habent.* III. 7.

- - - *Censuris hominum obnoxii.* IV. 2.

- - - *ab Ægris non tentandj.* V. 2.

- - - *quatenus fiant Causa Mortis?* III. 8.

Medicina, id est, Medicamentum Purgans. I. 7.

Medicina à DEO. II. 33.

- - - *Veterinaria.* vid. lit. V.

in *Medicinâ Errorum causæ potissimæ quæ?* IV. 4.

Medicine finis conditionatus. II. 20.

- - - *propagatio.* XI. 9.

absque Medico quidam convalescunt. II. 20.

Medicorum Encomia, vetera ac nova. V. 9.

- - - *Dotes quoad corpus, verba, & actiones.* ibid, §. 6. seq.

- - - *Sectæ.* VII. 37.

§ - - *Doliboni.* V. II.

- - - *Habitus mirabilis, tempore pestis.* XVII. 7.
- Medicus Philosophus DEO similis.* VII. 14.
- Medulla spinalis, flatu explorata.* XI. 15.
- Melancholia pertinax, Trepano sublata.* III. 3.
- Menstruata an specula adspicere vitient?* XVI. 3. sequ.
- Mercatores.* VII. 17.
- Mercurii sublimati ac soluti præcipitatio in*
- - *Pulverem candidum,* IX. 8.
- - - - *atrum,* ibid. §. 9.
- - - - *flavum,* ibidem.
- - - - *brunum :* ibid.
- - *Sedimentum Opalicolore.* IX. 22.
- Miasmatis pravi Status volatilis intra Venas.* XIV. 2.
- - - - *fixior, extra Venas foras cum exanthemate delati.* ibidem.
- - - - *foris fixati, redditus facilis ad volatilitatem.*
ibid. §. 6.
- Miasmatis Pestilentialis mobilitas.* ibidem.
- - - - *retrocessio facilis :* ibid. & §. 7.
- D. Joh. Michaëlis laus.* VI. 16.
- - - - *Canis exelecto Splene superstes.* ibid.
- Miliaris Febris.* XIV. 9.
- Minima non curat Prætor.* XIII. 1.
- Mithridatum, Medicamentorum. Rex.* XV. 3.
- - - non recte sumtum, *Venenum.* ibid.
- Modiolus, Trepani Species.* III. 3.
- Anton: Molineti Laus.* ibid. §. 5.
- Moneta contagiosa.* XVII. 12.
- Morbi quidam incurabiles, & cur?* II. 20.
- Mors necessaria, ob duas causas.* ibid. §. 3.

- - certa omnibus, exceptis paucis. *ibid.* §. 18.
- - accelerata divinitus, in gratiam aut pœnam. *ibid.* §. 3r.
- - ex Fluiditate Sanguinis nimiâ. XV. 9.
- - *Venis ruptis.* XII. §. 6.
- - prohibitâ transpiratione. XIV. 9.

Morsus Lupi. vid. *Lupus.*

Mortis causæ variæ. III. 8. 9.

- - modus diversas. II. 18.

Mulomedicina. confer: *Veterinaria.*

Mundi integritas in 4. gradibus entium 'consistens. II. 28.

Munditiae Studiosus sit Medicus. V. 7. 8.

Mundities Europæorum quorundam in bibendo. XVII. 4.

im *Mutabilitas* respectu Divinæ præscientiæ & objectorum. II. 23

Natura auxilio Medicus opus habet. III. 7.

- - minima accuratè investigare, suprahumanum. IX. 5.

de *Necessitate Stoicæ* quid statuendum? II. 7.

Niger color. confer *Artramentum.*

in *Nigredine* quæ sit ratio Radiorum. IX. 1720.

Nitri spiritus, ebullitionem & fœtorem excitans. *ibid.* §. 14.

Noctiluci oculi Luporum. XVI. II.

Nole Ægrorum despicientium quot? V. 2. sequ.

Nomina rebus imposita, Consilio vel casu. I. 1. sequ.

- - non sint strictiora, vel Latiora, suo definito, *ibid.* §. 3. seq.

Nominum Tyrannus, Usus. *ibid.* §. 4.

Novitatis Studium culpatum. XI. 19.

Nutrientes Clysteres: vid: *Clyster.*

Obædientia subjecti necessaria Experimentatori VII. 23.

- - Ægri, quibus artibus paranda? V. 6. sequ.

Obædientie Laus in Ægro, *ibid.* §. 1.

Oculi Luporum Noctiluci. XVI. II.

Oculo D E u s notatus hieroglyphicè. II. 4.

Och-

- Oculorum Fascinum.* XVI. i. sequ..
- Odor Cadaverosus.* vid. sub lit C.
- - *Violaceus.* vid. sub lit. V.
- Adam:* *Olearii laus.* XVI. ii.
- Oleum succini.* vid. sub lit. S.
- - *Tartari.* vid sub lit. T.
- Opali color ex certâ Liquorum confusione.* IX. ii,
- Opifices.* VII. 17.
- Opinio,* Ternario Numero comparata, *ibid.* §. n.
- Ογαρμός Sanguinis.* XV. 2. sequ.
- Orichalcum ex cupro,* IX. 14.
- Oscula armata aut Sagittata.* XVII. 4.
- - *Contagiosa.* *ibid.* §. 3. sequ.
- Osculorum differentia.* *ibid.* §. 2.
- Ovidius Metamorphosis suam combustit,* VII. 12.
- ex Ovo Animalia omnia.* X. 4.
- Palliativus scopus Chirurgiæ Infusoriæ.* VIII. 5.
- Panis quotidiani laus.* IX. 18.
- Parce,* Fata dictæ, & Noctis Filiae, II. 2.
- Parentes honorandi.* *ibid.* §. 37.
- Partibi Sagittas inficiebant.* XI. 23.
- Particularum in mixto naturam & status per minima investigare,* ultrahumanum est. IX. 5.
- Parturiens,* Sale volatili Succini sublata. XV. 7.
- Patientia laus in Ægro.* V. i. seq.
- Pauperies,* magna Experimentatorum mora. VII. 17.
- Joh: Pecqueti merita Anatomica.* X. 13.
- Pecunia:* vid: *Divisia.*
- Pedis contractio ob vulnèris dolorem.* XVIII. 2.
- in Pepem injectiones.* XI. ii.
- Perspiratio:* vid. sub Syllabâ *spi.*

- in Pestis an Vomitoria convenient? XIV. 10.
 - - quomodo sudorifera danda? XV. 4.
 - - Sanguis fluidus? XV. 3.
Pestilentialia Exanthemata varia. XIV. 5.
 - - Stigmata & Vibices. ibid. §. 2. seq.
Pestilentialis Miasmatis mobilitas, ibid, §. 6.
Pestis, flagellum DEI, ibid. §. 2.
 - - Sævissima Italiae. XVII. 7.
Phœnomena Naturalia quæ? VII. 3.
pharmacum, i. e. Medicamentum purgans. I. 7,
Philosophia mater Experientia. VII. 2.
Pblebotome. vid: *Vena sectio*.
Pbtisis valde contagiosa. XVI. 13. XVII. 3.
Pirate maligni quondam in Arabiâ. XI. 23.
Franc: *Plazzonus*, Medicus campestris, ibid, §. 13.
 in *Pleuritidem* suppuratam Injectio. ibid, §. 12.
Pleuritis suppurata quotupliciter eyacuetur? ibidem,
Polymnestoris mira velocitas. VI. 14.
 per *Poros* exspiramus & inspiramus. XIV. 1. 7.
Precipitans usitatissimum, Sal Tartari liquatus. IX. 8. seq.
Precipitantia alia, e. g. Sal Fuliginis. ibid. §. 8.
Praefscincè vel *Praefscini* quid notet? XVI. 1.
Prajudicio careat Experimentator. VII. 8.
Præsentia obiecti, ad Experimentum necessaria. ibid. §. 21.
Prognostico Æger non semper liquendus. III 2. sequ.
Pulsus contrestatio reformidata. XVII. 7.
Purgantia an convenient in malignis? XIV. 11.
Purpura Febris. ibid. §. 9.
Purpueri coloris productio. IX. 13.
 mutatio in viridem. ibid. §. 17.

Pyrrbonii Dubitatores. VII. 12.

Pythagore numerus ternarius. ibidem.

Quinta Essentia aliqua, an Infusioni apta? XI. 13.

Rabies ex Lupi morbu. XVI. 11.

Radiorum refractio. vid. *Refractio.*

Ratio sine Experientia an tolerabilior, quam Experientia sine ratione? VII. 33. sequ.

- certitudine omni non caret. ibid. §. 35.

- invenit, judicat, dirigit, & confirmat. ibid. §. 36.

Rationales Medici Araneis comparati. ibid. §. 37.

Refractio Radiorum diversa parit diversos colores. IX. 19. 20.

Resuscitatio Colorum extemporanea. vid. *Color.*

Retrocessio exanthematum periculosa. XIV. 6.

Rondeletii Studium Zootomicum. X. 13.

Rosa ut Serotinæ evadant? VII. 20.

- decolorantur Fumo Sulfuris. IX. 14.

Rosarum Tinctura, sanguinem coagulans. ibid. §. 11.

Rubedo Sanguinis permanens, immo exaltata, à Spiritu Salis Ammoniaci. ibid. §. 12.

in *Rubidine* qualis *Refractio Radiorum.* ibid. §. 10.

Rubedinæ productio arbitraria ibid. §. 9. 13.

Olai Rudbek Studium Anatomicum. X. 16.

Sagitta venenatæ variarum gentium. XI. 22. 23.

Sal Ammoniacum. vid. sub Lit. A.

- - *Cochleariae volatile.* vid. sub. lit. C.

- - *Fuliginis,* vid. *Fuligo.*

- - *Tartari per deliquum.* vid. sub lit. T.

- - *Stipitum Fabarum,* vid. sub. lit. F.

- - *Succini volatile.* vid. *Succinum.*

Salaria. vid. *Scipendia.*

Saliva

Saliva contagiosa. XVII. 4.

Saliva vis fermentans. XVI. 14.

Salsugo, i. e. *Aqua marina.* XI. 1.

ex Sanguine missio, vel viso tantum, quorundam *Lipothymia*...
XIII. 2.

Sanguini: Humano confusi liquores varii, quæ phœnomena parant? IX. II. sequ.

Sanguinis Circulatio. vid. sub lit. C.

- - Fermentatio. vide *Fermentatio*.

- - Fluor. vid. *Fluor*.

- - Missio. vid. *Vena Sectio*.

- - οξεσμός vel effervescentia, nisi etiam *Corpus transpiret*, periculosa. XV. 2. sequ.

- - Rubedo: vid. sub lit. R.

- - Transfusio ex homine in hominem. VIII. 7.

ex Sanguinis fluiditate nimiā Mors. XV. 9.

Sanguis coagulatus ex Aquâ Forti, Venæ infusâ. XIII. 6.

- - - - Veneno. XIV. 5.

Sanitas, DEI Donum. II. 22.

Santali Tinctura, Infusioni inserviens. XI. 18.

Sapirina Aqua. IX. 15. 16. 23.

Sapientum Electuarium. XV. 5.

Saturni Solutio, præcipitata oleo Tartari, albescit. IX. 8.

Scarsificatio malitiosa. XI. 24.

an *Scientie* quædam sine *Experientiâ* nascantur? VII. 31. 32.

Scientiam Experientia peperit, ibid. §. 1. 2.

cur *DEUS Scientias* post lapsum non patiatur, statim perfici?

VI. 2.

Scriptura ut nunc legi possit, nunc ex chartâ evanescat? IX.

10. 22-

Secta Medicorum. VII. 37.

Sectio Spleenis. vid. *Splen.*

Senectus, Morbus, & Vitæ Hyems. II. 17.

Senectutis laus. VII. 16.

Sennertii laus. XIII. 2.

Sensuum vis cui Ætati major? VII. 16.

Serpentes alati Arabiæ. XI. 2.

Servi Cursores Romanorum. VI. 15.

Servis splenes exusti. ibid.

Marc. Aurel. Severini Anatomica laus. X. 14.

Siderum influxus qualis & quotuplex in hæc inferiora? II. 8.

Simia & Hominis analogia. X. 4.

Siti in Febribus Julebi acidi quatenus medeantur? IX. 11.

Solutio Benzoini. vid. sub lit. B.

- - Mercurii vid. *Mercurius.*

- - Saturni. vid. *Saturnus.*

- - Stanni calcinati. vid. *Stannum.*

- - Vitrioli. vid. sub Lit. V.

Specula, an ab Adspectu menstruata vitiehtur? XVI. 3. seq.

Spinalis Medulla. vid. *Medulla.*

per *Spiratio per poros.* XIV. 1. 7.

extra spiratione intercepta, Mors. ibid. 9. aut alia mala. XV.

2. seq.

Spiritus acidi Sanguinem coagulant. IX. 11.

- - rubedinem in aliquibus producent. ibid. §. 3.

- - Cochleariae. vid. *Cochlearia.*

- - Cornu Cervi. vid. *Cornu.*

- - Nitri. vid. sub. lit. N.

- - Salis Ammoniaci. vid. *Ammoniacum.*

- - Vitrioli. vid. sub lit. V.

- de *Spiritu* *egressu* ex *Vena Sectâ*. XIII. 1.
- Splen* quatenus ob sit currentibus? VI. 13.
- - an necessarius ad Vitam? ibid. §. 17.
 - - ex quo t causis deficiat? ibid. §. 18. sequ.
- Splenem* *eximendi* modus. ibid. §. 22.
- de *Splenis* *excisione* ex *Corpo* *vivo*. ibid. §. 11. seq.
- Spuma* ex *confusione* duorum *Liquorum*. IX. 9. 22.
- Stanni calcinati* solutio ut *cœrulea* evadat? ibid. 15.
- Nic: *Stenonis Anatomica* laus. X. 15.
- Stigmata Pestentialia*. XIV. 2. sequ.
- Stipendiorum*, ad *Experimenta facienda*, laus. VII. 18.
- Stoicorum Fatum*. II. 7.
- Strepitus* ex *confusione* duorum *liquorum*. IX. 9. 22.
- Struma* feliciter excisa. III. 5.
- Aqua Stymni* *sulfurea*, vid. *Clyssus Antimonii*.
- à *Subiecto* unius generis ad *subjectum* alterius non est argumentum. X. 1.
- Succini oleum* & *Sal volatile*, damnosè data. XV. 7.
- Sudorifera* in *Peste* quomodo tutè danda? ibid. §. 4.
- Sulfuris fumo* *Rosæ* decolorantur. IX. 14.
- Sumitus*, vid: *Divitie*.
- Syrupus Violarum* ut statim evadat ruber? IX. 13.
- Tartari Oleum* vel *Alkali liquidum*, *præcipitans* *familiatissimum*. IX. 8. sequ.
- Cani Infusum. XV. 9.
- Tartari usci* & *Calcis vivæ* lixivium. IX. 14.
- de *Termino* *Vitæ Fatali*, prolixa. II. toto.
- Ternarius Numerus*, vid. *Numerus*.
- ex *Terrore*, *Aphonia*. XVI. 11.
- in *usus Theatralis*, *Aqua cœrulea*. IX. 16.

Tberiaca Medicamentorum Rex. XV. 3.

- - - Mithridatio calidior. ibidem.

- - - non recte sumta, Venenum. ibidem.

Tinctura Santali, vid. sub lit. S.

Tinctura Florum, Sanguini Humano confusæ, eundem coagulant. IX. 11.

Tolerantia Ægri attendenda. XIII. 2. 3.

Toxicum, ad Sagittas inficiendas. XI. 23.

- - - quid propriè fuerit, incertum, ibidem.

de *Tractoriis Machinis*. VI. 10.

Transfusio Sanguinis. VIII. 7.

Transparentium Corporum Radii Luminosi quomodo dispositi?
IX. 20.

Transpiratio, vid. sub Syllabâ Spi.

Trepanatio, ejusque utilitates. III. 3.

Trepanum quotuplex? ibidem.

Troglodyte, Equis celeriores. VI. 14.

Vacui Metus in Naturâ hominis. XIV. 10.

Vasa Lymphatica, vid. sub lit. L.

Übertreibung der Aldern. XV. 2.

Velocia confer, Celeritas.

Vena segetur tantum afluxatis. XII. 2.

ex Vena Sectâ quatenus Spirituum egressus metuendus? XIII.
1. sequ.

Vene Lactea. vid. lit. L.

- - patentiores eligendæ ad Infusionem. XX.

- - ruptæ, aut fissæ, à frigore. XIII. 5.

- - sectio an conveniat in malignis? XIV. 12.

- - - damnata ab Erasistrato & Helmontio. XIII. 4.

- - sectionis Scopus hodie quotuplex? XI. 10. XIV. 13.

Vena.

Venarum secundarum impar conditio. XIX. 1.

Venena, Sanguinem congelantia. XIV. 5.

- - - extrinsecus illata, occasionem Priscis dare poterant Chirurgiæ Infus: inveniendæ. XI. 21.

Venenare Arma, est contra Jus Gentium. ibid. §. 23.

- - - quibus Gentibus familiare? ibid. 22. 23.

Venenum, Scarificatione illatum. ibid. §. 24.

ex Venis ruptis Mors. XIII. 5. 6.

Venitriculi Animalium discrepant quidem, sed in aliquo conveniunt. X. 4.

Verba. confer, Nomen.

diVerberatione ſplen colliquatus. VI. 21.

in Vesicam Injectiones. XI. II.

an Veteres ad Inventionem Chirurgiæ Infus: facilè delabi potuissent? ibid. §. 21

Veterinariae sectatores. X. 6.

Vibices pestilentiales. XIV. 2. sequ.

Pnum, Clystere injectum, inebrians. XI. 6.

Violaceus odor, ex confusione inodororum liquorum emergens. XI. 9.

Piolarum Syrupus. vit. sub. lit. S.

- - *Tinctura, Sanguinem coagulans* IX. II.

- - - *purpurea, ut viridis evadat?* ibid. §. 17.

Viridis color gratissimus oculis, & ad Voluptatem datum IX. 18.

- - *ut producatur?* ibid. § 17.

Virilis Ætatis prærogativa. VII. 16.

Vita longæ ac prolongatæ Exempla. II. 34.

- - - *media.* ibid. §. 38.

de Vita Termino Fatali. II. toto.

Vitrii inaugratio. XVI. 6.

Vitrioli communis solutio limpida ut fiat atramentum?

XI. 10. 17. 22.

- - - *Spiritus, scripturæ inscriptus, eandem delet.*

IX. 10. 22.

- - - *chartam coeruleam rubram reddit.*

ibid. §. 13.

- - - *Sanguini humano mixtus, eundem coagu-*
lat. ibid. §. 11.

- - *Martis Solutio limpida ut evadat citrina vel ochra-*
cea? ibid. §. 14.

- - - *viridis? ibid. §. 17.*

Vitriolum separare ex Aquis, communiter destillatis. ibide[m].

Voces. confer. Nomen.

Vocis amissio. confer, Apbonia.

Voluntas DEI quotuplex? II. 21. 25. 26.

Voluntatis actus quatuor, Velle simpliciter; Velle sine rigore;
Nolle simpliciter; & Non-Velle. ibid. §. 27.

Vomitoria an convenient in Peste? XIV. 10.

Urine Alkali, Aquam destillatam viridem reddens. IX. 17.

exUstio spenis. VI. 20.

Ufsus, Vocum Tyranus. I. 4.

Uterini Clysteres. XI. 10.

Vulnera à Venenatis armis. XI. 22, 23.

Injectiones in Vulnera profundiora. ibid §. 13.

Vulneris Dolor. confer, Dolor.

Zootome. confer, Anatome Brutorum.

FINIS,

ERRATA

ERRATA EMINENTIORA.

Pag. 10. lin. 7. dixerim naufragium, Lege: *dixerim*, *naufragium* P. 54. L. 10. tygeridibus L. tygridibus Ibid. L. 23. monentis L. momentis P. 95. L. 15. rejiciendos, L. rejiciendam, P. 121. l. 15. Naturam L. 3. Naturam P. 123. L. 7. Materiam L. 1. Materiam P. 133. L. 24. latiore L. latiori P. 147. L. 17. rigantia L. rigentia P. 185. L. 4. qui L. quia P. 187. L. 1. Erasstratus L. Erasstratus Ibid. L. 7. Anat. vet. L. Anat. reform. Ibid. lin. 4. & 5. à fine Cinson L. Gnofon P. 189. L. 19. fido L. filo P. 190. L. 12. Experimentores L. Experimentatores P. 191. L. 22. protestationem L. protestatio P. 202. L. 22. statim deserere, L. statim cogatur deserere. P. 244. l. 20. urethra L. urethra P. 248. cognitis, L. cognitis, P. 264. L. 11. exclusio, paulò post L. exclusio, paulò post P. 268. L. 24. Serverinus L. Severinus P. 269. L. 13. debitâ L. debitâ P. 270. L. 25. est acrius L. & acrius P. 272. lin. proantepenult. præducens L. producens P. 278. L. 15. est vîs, L. & vîs, ibidem L. penult. nullus L. ullus P. 279. L. 18. est semet L. & semet P. 280. L. 17. & l. sed

*Pluscula quidem passim existant: sed, cum Lectores
Eruditissimis visuri sint, quo pacto eadem emen-
dari, consultò hic pretermittuntur.*

Concrete (concrete)

-

Walter 6159

WOOD LIBRARY-MUSEUM
515 Busse Highway
Park Ridge, Ill. 60068

WOOD LIBRARY-MUSEUM
515 Busse Highway
Park Ridge, Ill. 60068

